SPECIMEN ORIENTALIS ECCLESIÆ A CONCILIO NICÆNO PRIMO...

Giovan Battista Salerno





SPECIMEN
ORIENTALIS ECCLESIÆ

SPECIMEN ORIENTALIS ECCLESIÆ

A Concilio Nicæno primo usque ad Constantinopolitanum generale secundum.

IN QUO

Exponitur, quæ qualisve fuerit eo tempore orientalis Ecclesia, & quid senserit de Primatu Romani Episcopi.


AUTHORE

JO. BAPTISTA SALERNI SOC. JESU

CONSENTINO.

Pars prima historica.

SECTIO PRIMA.





ROMÆ M.DCCVI. Typis Joannis Francisci Chracas, Prope S. Marcum in via Cursus.

SUPERIORUM PERMISSU.

CLEMENTI UNDECIMO
PONT. OPT. MAX.

Jo. Baptista Salerni Soc. Jesu



Um primùm huic Græcorum Collegio me destinarunt Majores mei, PATER BEATISSIME,

 idque

idque mihi negotii demandarunt, studiis ut præessem græcæ Juventutis, gravissima statim, ac plena solicitudinis subiit animo cogitatio: Partem scilicet illam Apostolicæ Providentiæ, quæ ad Græcorum salutem pertinet, in mea esse fide locatam; meque cultorem constitutum earum stirpium, quibus imminet unica ferè spes afflictissimæ nationis: intellexi proinde, tantò impensiùs earum fructum a me fore solicitandum, quantò mihi laborandum est curiosiùs, ne beneficia Romanæ Sedis, in populorum comparata subsidium, meâ negligentia corrumpantur. Maxima quidem hæc mihi extiterunt incitamenta solertiæ; verùm validioribus oppidò stimulis, ad hanc juventutem religiosiùs excolendam, meum incitavit studium, Tua, PATER BEATISSIME, de Græcorum salute, immensa solicitudo, indeque profecta in hanc domum, beneficentia singularis. Divinus siquidem animus tuus, qui

omnes

omnes novit officii partes, nullamque prætermittit, cùm ſit benignus in omnes, eſt tamen in calamitoſos longè propenſior: cùmque univerſum terrarum Orbem complectatur beneficentia tua, majori tamen impetu ferri videtur, ad ei nationi opitulandum, quæ maximè opis indiget: Tuaque illa infinita ſolicitudo, quæ ignota etiam, noſtroque orbe diviſa regna, benefaciendo, conſulendoque percurrit, ſanè præterire non poterat eam partem Solis orientis, quæ noſtros penè ſub oculos miſerè perit; quæque eò eſt miſerabilior, quòd ex altiſſimo culmine dignitatis & gloriæ, in humilitatem præcipitavit tàm miſeræ profligatæque fortunæ. Et quamvis de iis, quos corripuit Photiana dementia, malè plerumque fama loquatur, ſpargaturque rumoribus, eorum hominum ingratos eſſe animos; obduratas mentes, perfidiam inſanabilem, ac veluti ſempiternam; ea tamen, quæ aliis intole-

randa videntur Græcorum crimina, Tibi, PATER SANCTISSIME, calamitates potiùs illius Nationis & infortunia videri solent: itaque ex earum rerum contemplatione, in aliorum animis ira nascitur, in Tuo commiseratio. Non norunt enimverò mortalium plerique beneficentiæ genus aliud, nisi abiectum illud atque vulgare, quo merentibus solùm benignè fit: altiús evolat tua voluntas, humanæque virtutis prætergrediens fines, divina quadam ratione, benefica amat esse ac liberalis: quamobrem ea ipsa schismaticorum vitia, quæ à benefaciendo retardant aliorum hominum studia, incitant potiùs tuum, eòque tuus, ejus gentis misericordiâ frangitur animus, quò illa insanæ mentis morbo laborat magis: sic in parentum sinu, solicitiorem excitat curam, majoremque accendit amoris teneritudinem, filiorum dementia: sic Dei obstupescenda munificentia, ad genus humanum, benefi-

cio

cio omnium diviniſſimo cumulandum deſcendit, non promeritis, ſed peccatis hominum evocata. Itaque ardor ille ſolicitudinis de Græcorum ſalute, qui è ſublimi animi tui arce ſupereminet, ac dominatur, nil ducitur earum rerum vicibus quæ infra ſunt; ſed ſublimiori fertur divinoque veluti mentis ductu, ad benè de Græcis perpetuòq; promerendum; more cœleſtium Syderum, igniumque ſempiternorum, quorum curſus, non inferiorum rerum eventibus, ſed ſuperiori ſolùm gubernantur Intelligentiâ. Sed ne longiùs quàm par eſt, licentiùſque loqui videar cum Chriſti Vicario, utque eò demùm, unde digreſſus eſt, hic ſermo redeat, Tua hæc, PATER BEATISSIME, in Græcos, atque in hanc græcæ Juventutis altricem domum conſtans perpetuaque beneficentia, cum noſtros ante oculos obverſetur quotidiè, ſanè monet, quantâ religione ſolertiâque ſint ii Juvenes inſtituendi, in quos tanti Pon-

tificis

tificis tàm intenta est cura & cogitatio. Itaque omnes, quæ diligentiæ sunt partes, cùm enixiùs cogitarem, ad quasdam historicas atque Polemicas exercitationes animum appuli; quarum ope hi adolescentes, præter cæteras disciplinas, ad germanam quoque orientalis Ecclesiæ assequendam cognitionem, rectis studiis contenderent; eamque adipiscerentur historiæ prudentiam, unde adversus Photianorum errores, validior armatura depromitur: ad quod genus industriæ instituendum, illius imprimis me incitavit authoritas, quem huic Collegio moderatorem, Rectoremq; dedisti; idemq; simul author fuit, ut earundem exercitationum publicum aliquod subinde specimen ederetur; eam rem, ut huic utilem juventuti, ita tibi gratam acceptamque fore confirmans. Hunc igitur cursum laboris, industriæque nostræ, quem ante aliquot annos, PATER BEATISSIME, Te probante suscepimus, exinde

Te

Te jubente, ſumus proſecuti: quæque hoc interjecto ſpatio temporis, velut in umbraculis agitavimus, eorum nunc partem quandam, quæ tota eſt hiſtoriæ, in aſpectum lucemque proferimus, libello comprehenſam hujuſmodi; quem libellum ut tuis pedibus, Pater Sanctissime, ſubiiceremus, tria nos potiſſimùm compulere: primùm, quia Tibi totus debetur, utpote qui Tua, non ab authoritate ſolùm ſed à munificentia quoque ac liberalitate proficiſcitur: Deinde, ut Tibi, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, hujuſcæ noſtræ qualiſcumque Villicationis, reddamus quodammodo rationem: denique, ut Apoſtolicæ tuæ Benedictionis vi, atque virtute, laboribus hiſce noſtris, e Cœlo incrementa deſcendant.

ARGV-

ARGUMENTA CAPITUM,

Quæ hoc Volumine continentur.

ARGUMENTUM CAPITIS I.

De Ariana Conjuratione.

ORigo, cursus, & historia ferè omnis Arianismi hoc primo capite continentur. Narrantur Arianæ conjurationes acta præcipua, & memorabiliores eventus, sub Pontificibus Silvestro, Marco, Julio, Liberio, ac Damaso: & sub Imperatoribus Constantino, Constantio, Juliano, Joviano, & Valente, usque ad tempora Gratiani, atque Theodosii.

ARGUMENTUM CAPITIS II.

De aliis quibusdam Orientalibus ejus temporis Hæresibus, & Schismatibus.

DE Arianis & Eusebianis: quodnam discrimen, quæve conjunctio inter utrosque intercesserit. De Arianis meris, & Semiarianis: deque

deque numeroso ejus sectæ divortio. De iis, qui merum Arianismum, aliis erroribus cumularunt, & primùm de Aëtio. De Eunomio. De Aërio. De Psathyrianis, ac Dulianis. De Apollinari ac Dimeritis. Prima hæresis semina contra Primatum Romanæ Sedis. De aliis quibusdam ejus temporis fœdissimis hæresibus. De Marcello Ancyrano. De Photino, sive Scotino. De Euchaitis, sive Precatoribus.

DE SCHISMATIBUS *ejusdem temporis. De schismate Meletiano. De quatuor schismatibus Alexandrinis. De schismate Audianorum. De schismate Catholicorum Antiochensium. De Meletio & Paulino: indicantur prima rudimēta schismatis inter Occidentem, & Orientem: Sanctus Gregorius Theologus Nazianzenus Occidentis authoritatem tuetur: irridet quorundam Orientalium vanitatem, qui Occidenti Orientem anteponebant. Fidei regula, cum hæresum Anathematismis, à Pontifice Damaso Orientalibus missa recitatur.*

A R-

ARGUMENTUM CAPITIS III.

De malis, quibus eo tempore premebatur Orientalis Ecclesia, ac de ejusdem facie lacrimabili.

VItia *Haereticorum, praesertim Arianorum indicantur. Quàm nefandis sceleribus violarentur Ecclesiae ab Arianis occupatae. Ecclesiae disciplina ab iisdem haereticis eversa. Licentia portentosa, pro libidine dogmatizandi. Crudelitas haereticorum. Quàm scelerati homines Episcopatum gererent primairum Sedium. Quae monstra in Ecclesiis ab haereticis praedicarentur.*

Calamitates *Catholicorum. Persecutiones sub Constantio, Iuliano, & Valente. Specimen persecutionis sub Valente exhibitum à Nazianzeno. Descriptio Arianae persecutionis, à Basilio Magno missa ad Romanum Pontificem. Facies lacrimabilis orientalis Ecclesię: comparatur haec à Basilio bello navali: navalis pugnae descriptio pulcherrima iisdem Basilii verbis exhibetur.*

Alia Mala, *quibus eo tempore, tùm Catholici, tùm Haeretici orientales premebantur. Persecutio Saporis Persarum Regis, fames, tempestates, bella externa, & civilia, terrarum motus immanissimi. Terremotus Nicomediensis descriptio ab Ammiano; eo motu etiam nova Roma labefa-*

A

Etata

ctata fuit. Terremotus Alexandrinus ab eodem Ammiano descriptus: adeò vehemens fuit, ut naves, impetu maris acta, tectorum culminibus insederint: ejus terremotus γενέσια, ideſt natalitia, quotannis ab Alexandrinis christianis celebrari solita. Alius terremotus subvertit Nicaeam; è cujus ruina Sanctus Cæsarius, Nazianzeni frater, divinitùs evadit: ejus terremotus occasione, Sanctus Ephram Syrus pulcherrima oratione, Orientales ad pœnitentiam eſt cohortatus; ejus orationis pauca verba indicantur.

ARGUMENTUM CAPITIS IV.

De Concilio Nicæno Magno.

C*Oncilium Nicænum dictum à Nicæa: qua in Provincia, & in cujus Episcopi ditione ea Civitas eſſet posita? Ad id Concilium cogendum, S. Silveſter Pontificiam authoritatem; Conſtantinus imperialem operam, contulerunt. Causa ejus Concilii, tempus, numerus Episcoporum: Myſterium ejus numeri ab Ambrosio detectum. OmniumPatrum nomina, curiosè olim ab Epiphanio collecta, temporum injuria perierunt. Aliqua tamen superſunt, & indicantur. Pro S. Silveſtro Osius, Viton, & Vincentius interfuerunt. Cur tres fuerint R. P. Legati? Cur Osius Concilio præ-*

fuit,

fuit? Arianarum partium Episcopi. Arius ipse adfuit. Ejus Concilii Patres nullum expensarum incommodum subierunt: omnia præstitit Constantinus. Cur hic ejus Concilii author dictus fuerit? Patrum lętitia, & gratulatio cùm omnes convenissent. Ante initum Concilium, omnes in Ecclesiam convenientes gratias Deo ritu solemnissimo egerunt, pro Ecclesiæ pace reparata. Constantinus se contulit Nicæam. Ejus Imperatoris religio summa, pietas, & liberalitas erga Patres. Habendi Concilii locum statuit Aulam ædium Imperialium bono affectu, sed malo exemplo. Qua die primùm Patres cõvenerint? Ordo sedendi: sublime solium in medio constitutum; & in solio liber positus Evangeliorum: quid ea re fuerit significatum? Qua modestia interfuerit, & quo loco sederit Constantinus? S. Eustathius Episcopus, apposita oratione Concilium initiavit: cur eæ partes Eustathio potiùs datæ? Eustathii orationem, alia oratione Constantinus excepit. Initæ consultationes. Ariana hæresis in quæstionem primùm deducta. Eusebianorum fraudes, Constantini prudentiâ irritæ. Quid Arius, quid Athanasius, quid Marcellus Ancyræ fecerint? Fidei quædam formula ab Eusebianis exhibita. Sentential Concilii adversus hæresim Arianam. Nicænum Symbolum ab Osio factum; eo Symbolo statuitur Filius Patri ὁμοούσιος consubstantialis: tumultus Eusebianorum

norum contra homousion. Reliquiæ Quartadecimanorum in eodem Concilio extinctæ. Meletii schisma compositum. Confirmatus Romani *Episcopi Primatus. Definita Patriarcharum jurisdictio. Restituta Ecclesiæ disciplina. Solutum Concilium: ejusdem Concilii literæ. Literæ Constantini ad Ecclesias. Acta ejus Concilii ferè omnia interiere. Qui supersunt viginti Canones, neque omnes sunt integri. Collectio arabica Canonum Nicænorum. Alia quædam innuuntur in eo Concilio agitata.*

ARGUMENTUM CAPITIS V.

De aliis ejusdem temporis Conciliis, atque Conciliabulis in Oriente celebratis.

CONCILIA *undecim, temporum ordine indicantur: Antiochenum, Alexandrinum, Sardicense, Hierosolymitanum, Alexandrinum aliud, Alexandrinum tertium, Tyanense, Antiochenum aliud, Alexandrinum item quartum, Antiochenum tertium, Antiochenum quartum. Horum Conciliorum tempus, causa, locus, deliberationes, & si quid aliud habeant, magis memoriâ dignum, brevissimè indicantur.*

CONCILIABULA *tria supra decem memorantur. Antiochenum, Tyrium, Hierosolymitanum, Constantinopolitanum primum, Constantinopolitanum*

 num

num secundum, Antiochenum alterum, Philippopolitanum, Ancyranum primum, Seleuciense, quod quandam habuit cum Ariminensi conjunctionem, Constantinopolitanum tertium, Lampsacenum alterum, atque Nyssenum. Horum etiam Conciliabulorum indicantur brevissimè, tempus, locus, causa, deliberationes, & si quid aliud in iis fuit memorabilius.

ARGUMENTUM CAPITIS VI.

De Viris Sanctitate illustribus, qui eo tempore in Oriente floruerunt.

De Sancto Athanasio Magno. De S. Gregorio Nazianzeno Theologo. De S. Basilio Magno. Exordia S. Ioannis Chrysostomi: horum Sanctorum ortus, interitus, & gesta quaedam chronologicè, & extra ordinem indicantur. Tum de aliis mentio fiet juxta ordinem Patriarchatuum, & praecipuarum Ecclesiarum.

SANCTI VIRI EX PATRIARCHATU ALEXANDRINO, *De Sancto Alexandro, de Petro, De Timotheo Episcopis Alexandrinis*. De *S. Potamone, De S. Paphnutio, de S. Frumentio Episcopis, & Confessoribus. De Martyribus ditionis Alexandrinae. De S. Secundo Barcae Presbytero. De Sancto Euthichio Subdiacono Alexandrino, Sociisque*

Mar-

Martyribus. De Sanctis Monachis ejusdem Patriarchatus Alexandrini. De Sancto Paulo primo Eremita. De S. Antonio Magno. De S. Pachomio. De SS. Serapione & Ammonio. De S. Syncletica solitaria. De aliis Monachis Mart. & Conf.

SANCTI VIRI EX PATRIARCHATU ANTIOCHENO. *De S. Eustathio, de S. Meletio, de Paulino Episcopis Antiochenis. De aliis SS. Episcopis Martyribus, & Confessoribus ditionis Antiochenæ. De S. Eusebio Samosateno. De S. Spiridione, de S. Iacobo Nisibeno, de S. Eprhæm Diacono Edesseno. De S. Barsa Episcopo Edessæ, aliisque plurimis Confessoribus Edessenis, quorum pulcherrimum facinus memoratur. De SS. Iuventio, & Maximino. De S. Artemio. De S. Publia Matrona. De S. Asclepa Sebasteno, aliisque Martyribus. De quibusdam solitariis Antiocheni Patriarchatus. De S. Simeone Stilita. De S. Iuliano Sabba. De S. Aphraate, de S. Moyse.*

SANCTI VIRI EX PALAESTINA. *De Sanctis Machario, Maximo, & Cyrillo Episcopis Hierosolymitanis. De S. Epiphanio. De Sanctis Macario, Asterio, & Irenione.*

SANCTI VIRI AB EXARCHATU HERACLEENSI præsertim Constantinopolitani. *De Sanctis Alexandro, & Paulo Episcopis Constantinopolitanis. De Sancto Eutropio, de S. Lucio, de SS. Martyrio,*

 & Mar-

& Marciano. De Sanctis octoginta Martyribus Constantinopolitanis.

Sancti Viri Ab Exarchatu Pontico. Cognatio Sancti Gregorii Nazianzeni Theologi. *De Sancto Gregorio Nazianzeno Theologi Patre. De S. Nonna Theologi Gregorii Matre. De S. Cæsario Gregorii Theologi Fratre. De S. Gorgonia Theologi Gregorii Sorore. De aliis quibusdam Gregorio Theologo sanguine junctis. De Nicobulo Gregorii Neptis marito.*

Cognatio Sancti Basilii Magni. *De S. Macrina Basilii Magni Avia. De S. Basilio Patre. De S. Emmelia Basilii Magni Matre. De S. Macrina Basilii Magni Sorore. De Naucratio Basilii Magni Fratre. De S. Gregorio Nysseno Basilii Magni Fratre. De S. Petro Basilii Fratre natu minimo. De aliis Basilio Magno sanguine junctis.*

Sancti Viri Ab Exarchatu Asiano. *De S. Nicolao Episcopo Myræ in Lycia. De S. Amphilochio Episcopo Iconiensi. De Optimo, viro laudatissimo Episcopo Antiochiæ Pisidiæ.*

ARGUMENTUM CAPITIS VII.
De Incrementis Christianæ Religionis per Orientales Regiones.

De Propagatione *Christianæ Religionis. Mulier captiva, Iberorum gentem, ejusque gen-*

gentis Regem Bacurium, atque Reginam ad Christi fidem adducit. S. Frumentius captivus adolescens, Religionem fundat apud Æthiopes. Mavvia Regina, subiectique Sarracenorum pupuli, Sancti Hilarionis primùm, mox S. Mosis operâ, credunt. Zocomus Princeps, cujusdam Sancti Monachi ductu, Christianæ Religioni se addicit cum tota sua ditione.

De Cultu *Christianæ Religionis. Templa plurima Constantinus fundat in Oriente. Templum Resurrectionis. Templum Passionis. Templum Sanctę Crucis. Templa Nativitatis, & Ascensionis. Templum in Horto Gethsemanis. Templum Dei Visi ad Quercum Mambre. Dominicum aureum Antiochenum. Templum Nicomediæ. Templum S. Luciani Martyris. Templum Apostolorum S.P. Templum Pacis C. P. Templum S. Michaelis Archangeli, dictum Michaelium. Alia Templa ab aliis per Orientem excitata. Cultus, ac divitiæ Templorum. De Idolorum casu. Eversa superstitio, Idololatria lege vetita. Templa Deûm diruta. Simulacra Gentium ludibrio exposita.*

De Gloria *Christianæ Religionis. Christi nomen duobus gręcis elementis expressum summam per Orientem gloriam abtinuit: eo nomine Regiæ frontes cohonestabantur. Quanto in honore idem nomen Constantinus Magnus habuerit. De gloria Crucis immensa. De Labaris. Forma Labari ab*

Eusebio descripta. Labarum unde dictum. A Iuliano sublatum, restituitur à Ioviano, deinde à Valente. De inventione Sanctæ Crucis.

ARGUMENTUM CAPITIS VIII.

De Monasticæ vitæ progressu, ac Sacrorum Rituum instauratione.

SENTENTIAE *quædam de origine Monachorum in veteri Testamento. Respuitur sententia Iacobi Boulducci de decem Monachorum sodalitatibus in veteri Testamento: neque probatur opinio Gelaleddini Sajuti Mahumettani repetentis Monachorum originem à temporibus Moysis. Qua ratione Monachorum origo ad Eliam, & Eliseum sit referenda.*

SENTENTIAE *quædam de origine Monachorum in Testamento novo, ante Pauli & Antonii tempora. Exemplum vitæ solitariæ Christus Dominus in Testamento novo primus exhibuit. Altiora consilia, Evangelicis libris disseminata, semina quædam fuerunt disciplinæ religiosæ: de Monachis Alexandrinis à Divo Marco institutis. De Essenis. Ante Paulum & Antonium, Monachorum erant Cœnobia, licet non tàm crebra in Ægypto. Erant quoque qui solitariè viverent; non metu quidem persecutionum; sed studio vitæ perfectio-*

fectioris. Qui tamen aviam coleret solitudinem, ante Paulum innotuit nemo.

DE MONASTICAE *vitæ progressu per Paulum, & Antonium post Nicænum concilium. Qua ratione solitariæ vitę Paulus fuerit institutor, & illustrator Antonius? Quibus initiis Antonius magnus vitam cœnobiticam instituerit, & propagaverit? Fœminæ quoque idem vivendi genus arripuerunt. Incredibilis Propagatio vitæ Monasticę per omnem Mundi regionem. Monasticam disciplinam Athanasius Magnus Romam intulit primus: unde in reliquas regiones occidentis Solis, Monachorum institutio manavit.*

QUIBUS POTISSIMUM *institutis, Monastica disciplina, eo tempore, contineretur; & quinam ante Basilium, Monachorum Regulas, in Oriente conscripserint?*

DE MONASTICAE *vitę progressu, Basilii Magni operâ. Basilius monasticam disciplinam ab Ægyptiis, & Syris acceptam, in Ponti Regionem invexit. Extruxit Monasterium apud Iborim, quod primum fortasse fuit Basilianorum Cœnobium. Monachorum instituta in longè meliorem formam adduxit: ob eam rem Religiosorum ordinum author primus haberi solet. Composuit Monachorum regulas præclarissimas. Tota ferè posteritas Monachorum orientalium Basilii regulam est secuta: quo tempore Basilianus ordo in Occidentem devenerit?*

nerit? Basilii regula, omnium prima fuit in jure scripto probata. Quando & ubi eadem Basilii regula coli, observarique cœperit à fœminis?

De Sacrorum Rituum Instauratione.

ARGUMENTUM CAPITIS IX.

De Orientalium ejus temporis obsequio erga Romanam Sedem, deque Romanæ Sedis erga Orientales solicitudine.

De obsequio Conciliorum Orienta- lium, eo tempore congregatorum erga Romanam Sedem. De obsequio Patriarchatus Alexandrini. De obsequio Patriarchatus Antiocheni. De obsequio aliorum Episcoporum orientalium. De obsequio S. Gregorii Theologi. De obsequio S. Basilii Magni. Proponitur geminus Basilii locus ex Epistola 52. Proponuntur tria Basilii loca ex epistola 70. Proponuntur item quinque Basilii loca ex epistola 74. De obsequio Imperatorum, qui Orientale Imperium, eo tempore administrarunt. De obsequio ipsorum-met illius temporis hæreticorum orientalium. De Romanæ Sedis solicitudine erga Orientales. De solicitudine S. Silvestri Pontificis. De solicitudine S. Julii P. De solicitudine Liberii Pont. Demùm de solicitudine S. Damasi Pont.

AR-

ARGUMENTUM CAPITIS X.

De ſtatu litterario, atque Scholis Orientalibus.

QUæ tunc in Oriente prophanarum litterarum ſtudia vigerent? Cujuſmodi eſſe conſuevіſſent, eo tempore in Oriente, ſacrarum ſtudia litterarum? De ſcriptoribus ejus temporis orientalibus. De Schola Cæſareenſi in Palæſtina. De Schola Alexandrina. De Schola Conſtantinopolitana. De Schola Athenienſi.



MI-

MICHAEL ANGELUS
TAMBURINUS
Vicarius Generalis Societatis JESU.

CUm Liber, cui titulus: SPECIMEN ORIENTALIS ECCLESIAE A CONCILIO NICAENO PRIMO AD CONSTANTINOPOLITANUM GENERALE SECUNDUM, à Patre Joanne Bapista Salerni nostræ Societatis Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet ità videbitur: cujus rei gratia has literas manu nostrâ subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 8. Octobris 1705.

Michael Angelus Tamburinus.

Impri-

Imprimatur

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sac. Palatii Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſg.

LEgi ex commiſſione Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici : SPECIMEN ORIENTALIS ECCLESIAE à Nicæno Concilio primo ad Conſtantinopolitanum generale ſecundum, & nihil offendi, quod fidei, aut bonis moribus adverſetur : imò verò magna oblectatione animi cuncta vidi latina claritate, brevitate, eruditione, & veterum Auctorum copia ſplendeſcere : dignum proinde judico, quòd Typis mandetur. Romæ ex Collegio Urbano de Propaganda Fide 31. Martii 1706.

Ioannes Paſtritius S. T. Lector jubilatus &c.

Impri-

Imprimatur:

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Palat. Apoſtol. Magiſter.

SPE-



SPECIMEN ORIENTALIS ECCLESIÆ

A concilio Nicæno primo, ad concilium Constantinopolitanum generale secundum.

Ordo dicendorum.



ONCILIUM Nicænum primum celebratum est reparatę Salutis anno 325 sub S. Silvestro Papa, & Constantino Magno Imperatore. Constantinopolitanum verò generale secundum anno 381. sub S. Damaso, & Magno Theodo-

ſio . Inter utrumque concilium medii fluxere anni ſex & quinquaginta . Eo ſpatio temporis quinque Romani Epiſcopi ordine ſucceſſere : Silveſtro Marcus: Marco Julius : huic Liberius : Liberio Damaſus : nàm Sanctus Fœlix prætereundus eſt . Orientis verò Imperium obtinuere Imperatores ſex : Namque poſt Magnum Conſtantinum , Conſtantius filius, poſt hunc Julianus Apoſtata, poſt Julianum Jovianus in Oriente imperarunt: Jovianum Valens, Valentem Theodoſius excepit . Qualis autèm ſub his Pontificibus , atque Imperatoribus eo tempore fuerit Orientalis Eccleſia ; & quid ſenſerit de Primatu Romani Epiſcopi ſcribere, aggredior . Verùm antequam ad rem ipſam propiùs accedã, juvabit opuſculi hujus ſtructuram univerſam ſub uno veluti aſpectu ponere ; ut inſtituti noſtri via omnis ac ratio in ipſo primo limine pateat .

Libellum in duas dividam partes:

Hiſto-


Historicam, atque Polemicam. In historica parte, qualis fuerit eâ tempestate Orientalis Ecclesia; & quæ tunc rerum facies in Oriente, narrando prosequar: in polemica verò, quid eadem senserit de Primatu Romani Episcopi, differendo inquiram. Quod ad historiam pertinet, Orientalem Ecclesiam primò generatim exponam: mox singulatim de septem præcipuis Ecclesiis, quibus illa universa continetur, pauca dicam; ut scilicet lector totam priùs mente concipiat, deindè partes consideret. Totius quidem Orientalis Ecclesiæ summam in decem capita conferam: quorum primum erit de Ariana coniuratione; ab hac enim Orientalis Ecclesiæ facies, omnem eo tempore colorem duxit. Secundum de aliis Orientalibus illius temporis hæresibus, atque schismatibus; ubi Antipapistarum, tùm etiàm Orientalis schismatis prima semina indicabuntur. Tertium de malis, quibus eo tempore premebatur

Orientalis Ecclesia. Quartum de Concilio Nicæno Magno. Quintum de reliquis Conciliis, atque Conciliabulis eo tempore in Oriente congregatis. Sextum de viris sanctitate illustribus, qui eodem tempore in Oriente floruere. Septimum de incrementis christianæ Religionis per orientales regiones. Octavum de monasticæ vitæ progressu, & sacrorum rituum instauratione. Nonum de Catholicorum Orientalium obsequio erga Romanam Sedem; deque Romanæ Sedis erga Orientales sollicitudine. Decimum de statu literario, atque scholis orientalibus. Tùm descendam ad singularem septem Ecclesiarum tractationem, quam quinque aliis capitibus absolvam. Nam primò de Alexandrino Patriarchatu dicam; mox de Antiocheno; post de Hierosolymitana Ecclesia; deinde de Constantinopolitana; demùm de tribus Exarchis Thracio, Pontico, & Asiano.

Polemicam verò partem ſex diſſertationibus comprehendam; quarum primâ inquiram, quid ſenſerint de Primatu Romani Pontificis eó tempore in Oriente congregata Concilia? Secundâ verò, quid Magnus Athanaſius de eodem Primatu ſenſerit? Tertiâ quid ſenſerit Magnus Baſilius? Quartâ quid item ſerint de Primatu Romani Epiſcopi, Gregorius Theologus, & Epiphanius? Hi enim Patres ſynchroni fuerunt omnes, atque omnes eâ tempeſtate floruerunt. Quintâ ex rebus geſtis illorum temporum conficiam, Oriẽtalem Eccleſiam eadem tunc ſenſiſſe de Primatu Romani Epiſcopi, quæ de eodem deindè ſtatuit Synodus Florentina. Sextâ demùm idem evincam aliis argumẽtis ab Oriente pariter, atque ab iiſdem temporibus petitis.

Hunc autèm laborem non eâ ſpe, aut mente ſuſcipio, ut de his omnibus pro merito diſſeram, aut materiæ par opus

promittã : ad id mihi nec satis otii unquã datum, nèc vires suppetunt : Specimen exhibeo, & illud breve, atque rude ; in gratiam dumtaxat adolescentium, qui sanctissimis Orientalis Ecclesiæ institutis, in hoc Græcorum Collegio, vivunt; quorum mihi eruditio & cura commissa est. Qui sunt ætate, atque scientia provectiores de suo sibi consulant; uberioremq; orientalium rerum notitiam, si fert animus, bibant e fontibus.



PARS



PARS PRIMA HISTORICA

CAPUT PRIMUM

De Ariana Conjuratione.



UARTO Christi sæculo inito, sedato Ethnico rum furore, sancta Dei Ecclesia respiraverat. Magnus CONSTANTINUS pacata omnia fecerat. Verũ ea pax brevis admodum fuit Orientalibus; namque statim Ariana pestis invasit; quæ primùm Orientalis Ecclesiæ viscera laceravit; deindè genus humanum universũ sùs dèque habuit. Eam flammam excitavit * Alexandriæ Arius presbyter, natione (1) Lybicus, incertâ patriâ, genere obscurus, ingenio subdolus, literaturâ tinctus, veneno imbutus, dialecticâ multùm pollens; homo scelestus ac factiosus; qui Meletio (2) an-

* *Anno* 320.

(1) *Epiphan: hæres.* 69. *Socrat. l.* 1. *c.* 14. & 19. *Gelas. Cyzic. par.* 2. *Theodor. l.* 1. *c.* 23. *Sozzomen. Ruffin.* &c.

(2) *Sozzom. l.* 1. *c.* 14.

tea studuerat; & quem S. Petrus (1) Alexandrinus Christi tunicam lacerantem divinitùs prævidcrat. Ambitio illi causa extitit sceleris ineundi; namque cùm Alexandrini Episcopatus libidine arderet, ubi ea spe cecidit, inexpiabile suscepit odium (2) in sanctissimum Alexandrum; cui, Achillâ ejus urbis Episcopo defuncto, ea dignitas data fuerat, ipse posthabitus: odium mox in furorem degeneravit; furor in amentiam; amentia tandèm in hæresim. Nam cùm Alexander (3) de more ad populum verba faceret, ejusdemq; æternitatis, atq; naturæ cum Patre, Verbum esse doceret; Arius, * qui de industria aderat, docenti Episcopo, per summam audaciam, ingenti clamore, ausus est intercedere, suamque nefariam hæresim contra opponere: *Verbum* (4) *ex non ente factum*; *proinde nec ejusdem Naturæ cum Patre, nec ejusdem æternitatis esse: Patrem fuisse, quando non erat Filius; Patrem propterea non semper fuisse Patrem*. Quæ postea scelerata dogmata, versiculis enervique numero ligata, in scriptum retulit Arius; cui scripto, Sotadem Ægyp-

[1] *Baron. ad ann.* 310. *Acta S. Petri Alexandrini.*

[2] *Theodoret. lib.* 1. *histor. Ecclesiast.* c. 1. & *l.* 4. *haeret. fabula c.* 1. *Cyrill. Alex.*

[3] *Teodoret. haeres. fabul. lib.* 4. *c.* 1.

* *Sub annum* 320.

[4] *Athanas. orat.* 2. *contra Arian.*

Ægyptium (1) imitatus, poetam improbum ac putidissimum, (2) Thaliæ nomen fecit. Hinc divisa (3) Ecclesia, atque urbs Alexandrina. Melior pars Pastori suo, levissimi quique, & moribus corrupti Ario adhærebant. Inter hos primos Arii sectatores, uti memoriæ veteres produnt, fuere Achillas, Aitales, Carponas, Arius alter, atque Sarmata Presbyteri (4): Euzoius, Lucius, Julianus, Menas, Helladius, Cajus, & Macharius Diaconi: Pistus (5) etiam, Eusthatius (6) Ursacius (7) & Valens, Saras, (8) atque alii, quorum meminit (9) Athanasius: Episcopi quoque gemini, Theonas Marmaricæ, atque Secundus Ptolemaidis. Hi verò sunt, quibus, primò àc præsertìm, Arianorum nomen accessit. Tùm scelestus hæresiarca, in quadam ejus Urbis Ecclesia Bucale (10) dicta, conventicula palàm habere cæpit; plebem in Episcopum concitare; sollicitare schismata; nefandâ heresi (11), Presbyteros, clericos, viros, feminas, virgines, quot quot ex ingenio nancisceretur, corrumpere.

2. Sed sanctissimus Alexander facinoris

(1) *Sive Cretensem, ut mavult Maimburg. historia Arian.*
(2) *Athanas. ibid. & de Synod. pag. 885.*
(3) *Epiphan. hæres. 69.*
(4) *Epiphan. hær. 69. Sozom. l. 1. c. 14.*
(5) *Epiphan. ibidem Athanas. ad solit. p. 743.*
(6) *Basil. Ep. 74.*
(7) *Athanas. or. 1. cont. Ar.*
(8) *Hieronj. cont. Lucif.*
[9] *Athanas. ad Orthod. p. 950.*
[10) *Epiph. ibid. & historici passim.*
(11) *Epiph. hæres. 69. S. Alexan. apud Theodoret. li. 1. histor. c. 3.*

noris insolentiâ, & plebis periculo vehementer commotus, cùm in tanta rerum perturbatione, quid consilij caperet, in promptu non esset; concilium maturè (*) convocat (1) Alexandriæ: quo in concilio Arius atque socij, quos diximus, primò (2) damnati sunt. Tùm impius hæresiarcha igne accenso Alexandriâ furibundus (3) discedit; Orientis vastitatem, atq; pestem religionis post se trahens: discurrit per orientales Ecclesias: Alexandri violentiam, atque iniqum in se animum accusat: Episcopos pertentat; alios coram; alios per literas: querelis, in adulationem simul, & commiserationem compositis, eorũ animos occupat: demùm brevi effecit ut plurimi magnarũ Urbium Antistites ex Oriente universo, & ipsius partes cõtra Alexandrum susceperint; & ipsius hæresim contra Verbi Divinitatem ebiberint: in his (4) memorantur Eusebius Cæsareæ, Theognis Nicææ, Athanasius Anazarbi, Thodoretus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Gregorius Beryti, Aëtius Liddæ, Metrophantus Ephesi, Narcissus Neroniadis in Cilicia; atque alia plura execrandi generis infausta nomina.

* *Anno* 320.
(1) *Socrat. l.* 1. *cap.* 3. *Epiphan. ibid.*
(2) *Theodoret. de hæres. lib* 4. *c.* 1.
(3) *Epiphan. ibid. Theodoret. lib.* 1. *hist. cap.* 3. *Sozom. lib.* 1. *c.* 14.
(4) *Theodoret. lib.* 1. *c.* 4.

na. Sed horum(1) caput ac ductor Nicomediensis Eusebius fuit, homo aulæ quàm Religionis studiosior; qui genere, ac potentiâ multum pollebat, & veteri erat consuetudine, errorumq; societate, cum Ario coniunctissimus. Hi verò & quotquot exindè Ario defensores, Eusebio duce, sese adderent, Eusebianorum nomen suscepere. Tùm omnia in Oriente in duas partes abstracta sunt: Religio, quæ media erat, dilacerata: flamma in incendium abijt: Oriens universus flagrare cœpit: scintillæ in Occidentem usque pervadunt: fumus Ecclesiam totam obnubilat.

(1) *Sozzom. lib. 1. c. 14.*

3. Nihil reliqui sibi fecere Alexander, atque una sanctissimi quique orientalium Episcoporum, ut incendium periculi plenum extinguerent; at cum nihil profecissent, res, juxta Canonem, Romam ad (2) Silvestrum Papam, ab ipso Alexandro delata est: Siluester cũ Constantino Magno conspirat: Incumbunt gravissimæ causæ, communi opera studioque, Sacerdotium, & Regnum: tùm Osio Cordubensi, viro ea ætate celebratissimo, in Orientẽ misso dant negotium, ut concitatissimis rebus, pro tem-

(2) *Epist. Liber. ad Constant. in Bibliotheca Patrũ t. 9. quam citant Godefroy Hermãt. Vit. Athanas. t. 1. lib. 1 cap. 15. pag. 76. Baron tom. 3. p. 191. n. 59.*

tempore ac periculo, consuleret; orientalium Ecclesiarum pacem, autoritate Sedis Apostolicæ, Imperatoris brachio, & prudentiâ, quâ pollebat maximâ, maturè componeret. Neque Osio res prosperè cessit. Quare Primum generale cõcilium indictum est, atque Nicææ in Bithinia congregatum; ubi convenere Patres Reparatoris anno 325. cujus concilij specimen seorsùm inferiùs exhibebo. Amplissimus hic 318. Episcoporum conuentus, majestate sacrâ verendus, ac veluti divinitatem spirans, solemnissimo ritu, Ariana dogmata in quęstionẽ, judiciumque vocavit. Tùm, supremo aspirante Numine, sententia in (1) Arium lata est gravissima; proscripta (2) Thalia; percussa, atque damnata hæresis; retusus Eusebianorum furor. Ad hoc Patres, authore (3) Osio Romani Episcopi Legato, Fidei quandã formulam edidere, quę postea toto terrarum Orbe celebratissima fuit; & Nicænum simbolum vocari consuevit; eâque, præter cætera, Filium Patri Ομοούσιον, sivè consubstantialem statuerunt; quæ deinde una vox Ομοούσιον, tot Conciliorũ materies, atq; tot annorum contentio, negotiumque fuit

(1) *Athanas. apol. 2. Theodoret. l. 1. c. 6. Socrat. lib. 1. cap. 5.*
(2) *Athanas. orat. 2. contra Arian. Socrat. l. 1. c. 6. Sozomen. lib. 1. cap. 20.*
(3) *Athan. ad Solitar. pag. 837. Hilar. de Synod. adversus Arian.*

ſuit. Eique demùm formulæ, cùm Patres omnes, tùm gemini Euſebij, ac cæteri Euſebiani, præter (1) Theonam atque Secundũ, ſubſcripſerunt. Poſt hæc Ario, Piſto, Euzoio, & Arianorum pleriſq; quos Alexander antea notaverat; Theonæ quoque, atque Secundo, exilij pœna addita eſt: (2) quam etiam pœnam, dimiſſo jã concilio, ſubiere Euſebius Nicomedię, ac Theognis Niceę; quòd abutẽtes clementiâ Patrum, nova iterũ, cõtra fidẽ cui ſubſcripſerant, molirentur.

4. Hæc ſanctiſſimi Senatus divina conſulta Arianam peſtem ab ſtirpe convellere potuiſſent, ſi ſanabile unquam foret hæreticorum ingenium: verùm aliter ſe res habuit: vox illa Ὁμοούσιον, quæ Arianiſmi petebat jugulum, quęque propter inviolabilem, atque divinam, à qua proficiſcebatur authoritatem, penitus rem conficere, optatamque Eccleſijs pacem perpetuò componere debuerat, quod incredibile memoratu eſt, initium novi belli, atque deterioris incendij nova veluti materies fuit. Coniuratos quidem, tunc in officio continuit exilij, atque pœnarum metus; ſed (3) quoniam malus cuſtos

(1) *Philoſtorg. l. 1. c. 9. p. 7. ejuſd. ſuppl. ex Niceta pag. 177. Theodoret. lib. 1. cap. 6. & 7. apud Hermãt. Vit. Athan. t. 1. p. 160.*

(2) *Philoſtor. in Addit. p. 178. ap. eund. t. 1. p. 240.*

(3) *Cicero de offic.*

diu-

diuturnitatis eſt timor, ubi animo deceſſit, ſpatiumque novis machinationibus datum, iterum per Euſebianos, quibus eadem vecordia inerat, omnia moveri, atque turbari cœpta ſunt.

(1) *Anno 326.* 5. Inter hæc (1) Alexander Alexandrinus antiſtes moritur; Athanaſius ſuccedit. Ea res gravis multò accidit Euſebianis, quibus Athanaſij fortitudo ac ſapentia formidoloſa erat: jam enim antea didicerant timere virum, cùm adverſus Arium, non dum fortè Presbiter, in concilio Nicæno ſententiam diceret: quare nova flamma furentibus iniecta eſt. Cumque deinde, quem olim Diaconum formidaverant, Epiſcopum experiri cœpiſſent; atque ab eo, divina quadam animi magnitudine, rumpi omnia ſua incæpta intelligerent, frangi conſilia, nudari dolos, odium in illum, æternum atque inexpiabile, ſuſceperunt. Hinc apud animũ ſuum duo ſtatuere Ariani, in quæ æterna bella jurarunt: Ὁμοούσιον, atque Athanaſium: quæ nefaria animi ſententia, adeò ipſis fixa & immobilis fuit, ut niverſa deinceps Euſebianorum conju-

njuratio, in hoc veluti gemino cardine, perpetuò ſit revoluta.

6. Sed quo minùs Ομοούσιον, aperto bello impeterent ſacrilegi Sectatores, Conſtantini ſumma religio erga Nicæna ſtatuta, maximè obſtabat. Quare ad fraudes, doloſamque ſimulationem adiiciunt animum. Apud Imperatorem fidem, obſequiumque ſimulant erga Nicænam Synodum. Ea ſimulatione (1) Nicomedienſis Euſebius, atque Theognis Nicææ exilio ſoluti, loco (*) reſtituuntur. Reſtitutus Euſebius novas machinationes, atque artes aggreditur. (2) Conſtantiam Auguſtam Conſtantini ſororem, jam antea occupatã ab Ario (nam nulla hæreſis ſine fœmina) magis tranſverſam agit: Aulicorum amicitias emit: eorum ſimul animos, quibus frequens eſſet ad Conſtantinum acceſsus, factioni conciliat: horumque operâ, ſed in primis Conſtantiæ, aditum ad Imperatoris gratiã ſibi, ſuiſque aperit. Tùm his præſidijs inſtructi Euſebiani, Epiſcopos innumeros, ex omni Orientis angulo, alios metu, alios pollicitationibus, aut melioris fortunæ ſpe, in ſuam partem trahere:

(1) *Theodoret. ibid.*

* *Anno 329.*

(2) *Ruffin. l. 1. cap. 11. Socrat. l. 1. c. 19. Theodoret. l. 2. c. 3.*

Mele-

diuturnitatis eſt timor, ubi animo deceſſit, ſpatiumque novis machinationibus datum, iterum per Euſebianos, quibus eadem vecordia inerat, omnia moveri, atque turbari cœpta ſunt.

(1) *Anno* 326. 5. Inter hæc (1) Alexander Alexandrinus antiſtes moritur; Athanaſius ſuccedit. Ea res gravis multò accidit Euſebianis, quibus Athanaſij fortitudo ac ſapentia formidoloſa erat: jam enim antea didicerant timere virum, cùm adverſus Arium, non dum fortè Presbiter, in concilio Nicæno ſententiam diceret: quare nova flamma furentibus iniecta eſt. Cumque deinde, quem olim Diaconum formidaverant, Epiſcopum experiri cœpiſſent; atque ab eo, divina quadam animi magnitudine, rumpi omnia ſua incæpta intelligerent, frangi conſilia, nudari dolos, odium in illum, æternum atque inexpiabile, ſuſceperunt. Hinc apud animũ ſuum duo ſtatuere Ariani, in quæ æterna bella jurarunt: Ὁμοούσιον, atque Athanaſium: quæ nefaria animi ſententia; adeò ipſis fixa & immobilis fuit, ut niverſa deinceps Euſebianorum conju-

njuratio,in hoc veluti gemino cardine, perpetuò ſit revoluta.

6. Sed quo minùs Ὁμοούσιον, aperto bello impeterent ſacrilegi Sectatores, Conſtantini ſumma religio erga Nicæna ſtatuta, maximè obſtabat. Quare ad fraudes, doloſamque ſimulationem adiiciunt animum. Apud Imperatorem fidem, obſequiumque ſimulant erga Nicænam Synodum. Ea ſimulatione (1) Nicomedienſis Euſebius, atque Theognis Nicææ exilio ſoluti, loco (*) reſtituuntur. Reſtitutus Euſebius novas machinationes, atque artes aggreditur. (2) Conſtantiam Auguſtam Conſtantini ſororem, jam antea occupatã ab Ario (nam nulla hæreſis ſine fœmina) magis tranſverſam agit: Aulicorum amicitias emit: eorum ſimul animos, quibus frequens eſſet ad Conſtantinum acceſsus, factioni conciliat: horumque operâ, ſed in primis Conſtantiæ, aditum ad Imperatoris gratiã ſibi, ſuiſque aperit. Tùm his præſidijs inſtructi Euſebiani, Epiſcopos innumeros, ex omni Orientis angulo, alios metu, alios pollicitationibus, aut melioris fortunæ ſpe, in ſuam partem trahere:

Mele-

(1) *Theodoret. ibid.*

* *Anno 329.*

(2) *Ruffin. l. 1. cap. 11. Socrat. l. 1. c. 19. Theodoret. l. 2. c. 3.*

(1) *Sozzom. l.2. c. 20. Athanas. orat. 1. contra Arian. Epipha. haeres. 68.*

Meletianam(1)factionē sibi adiungere: ubique exploratores habere; simul ministros, atque consiliorum participes: turbare omnia: genus humanum corrumpere. Quibus passibus, surdis atq; dolosis, nefaria hæresis fusa per gentes, & pistilentiæ more serpens, incredibile est, quàm latè hominum imbecillitatem oppresserit. Ad hæc Athanasium (quæ potior Arianorum cura, & cogitatio semper fuit) magnum quoque Eustathium Antiochenum, aliosque sanctos Episcopos, quos maximè sibi obstantes haberent, falsis criminibus (2) implicare; Constantino, atque humano generi universo invisos facere; conterere famam; vitam, mores notare; nil sibi reliquum ad ipsorum perniciem facere: quò scilicet aut fractis, aut debilitatis obicibus, postquam tot vires undique collegisset, posset demùm arianus torrens, libero cursu, inoffensoque impetu inundare. Ob eam rem Constantia, cœterique Aulæ proceres, quos Eusebius factioni obligaverat, quique Principis aures obsidebant, detractionibus in loco jactis, Athanasium aliosque bonarum partium

(2) *Athan. de Synod. p. 890.*

Epi-

Episcopos, apud Imperatorem, traducebant; velut homines inquietos, elatos, publicæ pacis perturbatores; qui privatis simultatibus religionis nomen obtenderent; eosque, qui suis opinionibus minimè studuissent, Ecclesiæ rebelles prædicarent. Contra verò efficiebant, ut ex ijs, quæ coniurati per summam insolentiam, contra Nicænam fidem molirentur, quędā Imperator negligeret, alia malè indulgens permitteret, plurima ignoraret; rem nunquam pro grauitate atque periculo haberet. Ita Magnus ille Constantinus, post quam Arianismo tinctos homines circum se habere cæpit, ex optimo sagacissimoq;, alius ab illo, atq;se minor evasit: ut dùm universus terrarum Orbis intelligeret, Arianam factionem esse; valere; dilatari; Nicænam fidem violare; Ecclesiæ decreta in speciem colere, re pessùm habere; moliri pestem Religionis; per latus obstantis Athanasij Ecclesiæ viscera petere: ipse interim Princeps in tenebris densissimis versari videretur. Tanta fascinatio Aulam novę Romæ, eo tempore, occupaverat, Domo Dei ardente, atq;

in flammas abeunte Religione. Hæ ſunt conſuetæ hæreticorum artes, quæ utinam cum Ariana peſte fuiſsent extinctæ.

7 His artibus proſtratam Arii rem Euſebiani erexerunt. Imperator Arium (1) ſuis literis, ab exilio, Conſtantinopolim revocat: revocatum explorat quid in animo haberet: ſimulantemque (2) reditum ad ſaniora conſilia, in Eccleſiarum communionem recipi, credulus (3) jubet. Tum ſceleſtus hæreſiarcha, cum litteris, (4) mittitur Alexandriam, eo conſilio, ut illic primò in Eccleſiam reciperetur, unde primùm exciderat. Verùm id inceptum fruſtra fuit, intercedente Athanaſio, apud quem, ut Arium reciperet, nec Euſebii artes, nec Imperatoris literæ valuere. Tunc Euſebianorũ in Athanaſium vetus ira recruduit; ſepoſitâque parumper Arii curâ, in ejus viri perniciem toti incubuere; tùm quòd eorum animi, ſaucii veteribus odiis, recentique Arii repulsâ exacerbati, vindictam anhelabant; tùm quòd quotidie intelligerent, Athanaſio incolumi conatus ſuos irritos fore omnes. Igitur divinum

(1) *Socrat. l. 1. cap. 19. 20. Sozomen. l. 2. c. 26. Ruffin. l. 1. c. 11.*

(2) *Socrat. Sozzom. ibid.*

(3) *Athanaſ. Apol. 2. p. 778*

(4) *Idem ibid. & ad Antioch. Ejuſmodi literæ ſcriptæ fuerunt ad Athanaſiũ tùm à Conſtantino tùm ab Euſebio.*

num Præsulem falsis (1) criminibus adoriuntur: quòd tributa(2) in Ægypto juberet: quòd (2) auri vi magnâ præstò fuisset Constantino rebellaturis. Sed his in vanum recidētibus audacter alia subnectunt; Meletianorum usi operâ, atque perjurio: quòd in Mareotide fregisset Ischyræ(3) calicem: quòd obtruncasset (4) Arsenium; obtruncati manum abscidisset ad usum magicæ artis. Tùm earum rerum prætextu, Concilii (5) copiam, adversus eundem Athanasium, à decepto Constantino impetrant. Initur famosum Tyri (6) Conciliabulum: ea (7) ibi fiunt, quæ horret animus meminisse: factio dominabatur, omnia miscens armis, dolis, atque sceleribus: factiosis Dionysius comes cum militibus prestò aderat: boni pauci admodum, eisque adversa omnia erant: Eusebiani ex profugis supplicibusque, evadunt repentè judices, rerumque arbitri fiunt: Athanasius Magnus, sub ipsorum pedibus, reus stare cogitur, caussam dicturus ad tribunal inimicorum.

(1) *Athanas. ibid.*

(2) *Athanas. ibid. Socrat. l. 1. c. 20. Sozzom. l. 2. c. 21. Theodoret. l. 1. c. 25.*

(3) *Athanas. Apol. 2. pag. 781. 791. 802 Theodoret. l. 1. cap. 28. Socrat. l. 1. cap. 20.*

(4) *Socrat ib. Ruffin. lib. 1. cap. 19.*

(5) *Athanas. Apol. 2. Sozzom. l. 2. cap. 24. Theodoret. l. 1. c. 26.*

(6) *Euseb. l. 4. c. 4. Athanas. Apol. 2. Socrat l. 1. c. 20. Epiphan. hær. 68.*

(7) *Athanas. ibid. Sozzom. lib. 2. c. 24.*

8 Aderant Concilio SS. Potamon, atque Paphnutius viri memorabiles, & vulneribus pro fide acceptis clarissimi

(8) *Epiphan. hæres.68.*

mi : ex his (1) Potamon, cùm ea indigna fieri vidisset, in ingentem primò vim lacrimarum effusus; mox in indignationem mutato fletu, ad Eusebium Cæsareensem hujuscemodi verba fecit: *Tu sedes Eusebi, & Athanasius stans á te judicatur! adeo nè jura, legesque omnes subversa sunt? Adeo per te justitia, pudor, atque religio interiere? Nonne una simul in vinculis fuimus, cùm Tyranni Christianos persequerentur? & ego quidem inde ad metalla raptatus fui, crure succisus, vulneribus affectus, privatus oculo: Tu verò incolumis, integer, nullaque corporis parte minor, evasisti: quamobrem ab eodem carcere, tam diversi discessimus? nisi quod ego, ne fidem proderem, hæc omnia mala subivi: Tu, ne quid horum paterere, turpiter fidem prodidisti. Hæc fecisti Eusebi, & tamen adeò te supra effers; nec vultum demittis ad hæc vulnera testes perfidiæ tuæ: pro pœnitentia & pudore, superbiam, ac supercilium induisti: superbè sedes; Sanctos exagitas; dominaris, imperas, judicas; & judicas Athanasium!* (2) Paphnutius quoque vir sanctissimus, cùm tot Eusebianorum scelera ferre mini-

(1) *Ruffin. l.* 1.*c.*4. *Sozzomen. lib.*1. *c.* 10. *Socrat.l.* 1. *c.*5.

minimè potuisset, apprehensa Maximi Hierosolymitani Episcopi manu, *Surge*, inquit, *migremus hinc : nefas enim est, confessores cum simus ; & pro fide majorum tùm effossos oculos, tùm pedum flexus violatos geramus, Concilio perditorum hominum interesse* :

9. Sed Eusebiani nihilo saniores facti, Athanasium, iterum de obtruncato Arsenio, tum de fœmina violata, alijsq; plurimis fictis criminibus, causam dicere cogunt. (1) Muliercula in primis, impudentiæ, malisque moribus assueta, & Eusebianorum instructa dolis, ad frequens Concilium introducitur ; vim sibi ab Athanasio illatam pejeratura : Sed eam fraudem Timotheus quidam Presbyter, vir laudatus, & Athanasio apprimè fidus, lepidè simul ac solertissimè palàm fecit : namque in medium ipse procedens Athanasium se simulans *ego ne* inquit *in domum tuam unquam diverti mulier? ego te violavi?* Cui fęmina, Athanasium rata, impudentissimè cùm respondisset : *Tu idem ipse es, qui me violasti, tu vim pudori meo intulisti*, illicò nudato scelere, doli apparuere. Exinde (2) Arsenius, quem Euse-

(1) *Ruffin. l.* 1. *c.* 17. *Theodoret. l.* 1. *c.* 28. *Sozom. l.* 2. *c.* 24.

(2) *Ruff. Sozom. Theodoret. ibid. Socrat. l.* 1. *c.* 21. *Athanas. Apoll.* 2.

Eusebiani jugulatum, ejusque manum abscissam ab Athanasio criminabātur, vivum se, atque utraque manu integrum, eidem frequenti Conciliabulo spectandum dedit: alia quoque composita crimina, patefactis coniuratorum fraudibus, evanuere: bonis indignatio summa extitit, Eusebianis ingens pudor furori mistus; Athanasius (qui vix detectis insidiis Tyro discesserat ad Constantinum) omnibus innocens apparuit; nihilominus innocens adhuc, & absens damnatur, atque Sede Alexandrina deponitur: nam quid inde moderatius expectes, ubi jura jacent, Deus contemnitur, scelus, ira, furor dominantur, & inimici sunt Judices. (1) Post hæc Eusebiani, Constantini jussu, Tyro, Hierosolymam se conferunt, Tēplum in Urbe Sanctâ, recèns ab eo positum dedicaturi: ibique, per occasionem, conventiculo inter se inito, priora scelera cumulantes, (2) Arium in Ecclesiæ societatem recipiunt. At (3) Constantinus, ubi damnatum Tyri Athanasium accepit, ratus id ritè factum, adeò asperè illum habere cœpit, ut de iniurijs expostulantem ne audire qui-

(1) *Euseb. lib. 4. de Vita Constant. cap. 43. Ruffin. l. 1. cap. 11. Socrat. l. 1. cap. 24. Theodoret. lib. 1. cap. 29. Sozzom. l. 2. c. 23.*

(2) *Athanas. Apol. 2. p. 801 ad Solitar. de Synod. Socrat. Sozzom. Theodoret. Ruffin. ibid.*

(3) *Athanas. Apol. 2. Epiphan. hæres. 68. Socrat. Sozzom. ibid.*

quidem voluerit; instantemque ut audiretur à conspectu rejecerit. Tunc Præsul sanctissimus ad Imperatorem dixisse fertur: (1) *Quoniam oppressoribus meis accessisti; habeo æquiorem Judicem, qui me simul, ac te, Imperator, judicabit*: atq; subinde petiit, uti ab iisdem saltem Eusebianis, qui eum Tyri damnaverant, iterùm causa Constantinopoli cognosceretur; quod à Constantino egrè tandem impetratum est. Itaq; ob eam rem Eusebiani Hierosolymis Constantinopolim (2) vocantur; quò ubi pervenere sacrilegi machinatores, veteribus diffidentes, novo Athanasium crimine adorti sunt: quasi frumenti commeatum, quò minus Alexandriâ Constantinopolim transportaretur, se jactaverit (3) impediturum. Demùm (4) Constantinus tot falsis opinionibus occupatus, Athanasium maximum virum exulem in Galliam egit: Ita Eusebiani sub Constantino Magno, quod minimè sperandum erat, ex afflicta profligataque fortuna, ad summam veluti votorum devenere: aucta viribus factio; restitutus Arius; Athanasius eliminatus; ipsi rerũ potentes facti sunt.

(1) *Iidem ib.*

(2) *Iidem ib.*

(3) *Athanas. Apol. 2. Socrat. lib. 1. c. 23. Theodoret. lib. 1. cap. 29.*

(4) *Athanas. Apol. 2. p. 729 Ad Solitar. p. 84. Socrat. l. 1. c. 25. Sozz. l. 2. cap. 27. Theod. l. 1. c. 33. Lucifer. Calarit. lib. 1. pro Sancto Athanasio; & historici passim.*

10. Tot succeſſibus tumidi, eò dementiæ proceſſerunt coniurationis populares, ut apud ſe ſtatuerint, (1) Ariũ in Conſtantinopolitanam Eccleſiam, invito Epiſcopo Alexandro viro Sanctiſſimo, vi & armis intrudere; at quo minùs tantum nefas audiret poſteritas, Dei Optimi Providentià interceſſit: Namque impius hæreſiarcha, cùm ad conſtitutam ſceleri diem, per compita regiæ urbis, triumphanti ſimilis duceretur; atque ingenti comitatu pergeret, Eccleſiæ vim illaturus; eo in itinere, alvo fœdè ſoluta, effuſisque viſceribus, turpiſſimo loco, exemploque memorando repentè perijt. Hunc vitæ finem fecit, (2) *ſingularis ille ferus* populator agri Domini, vaſtator fiidei, corruptor generis humani: verum ea res neque coniuratorum animos fregit; neque ſcelerum curſum tardavit: quin potius, poſt illam peſtem extinctam, factio augeri, quàm minui viſa eſt: tantum Euſebijpotentia, dolique valuere.

11. Ario extincto, Alexander Epiſcopus novę Romę vir celeberrimus (3) ſanctiſsimè obijt: quem morti proxi-

mum

(1) *Athanaſ. orat. 1. cont. Arian. ep. ad Serap. Libell. prec. Marcel. & Fauſt Epiphan. hæreſ. 69. Thedoret. l. 1. c. 13. Sotrat. l. 1. cap. 25. Sozz. l. 2. c. 28.*

(2) *Pſal. 78. verſ. 14.*

(3) *Gregor. Nazianzen. orat. 27. pag. 664.*

mum cùm adstantes de successore consuluissent, hæc memorant (1) respondisse: *Si Episcopus quæritur, qui plebem verbo veritatis, exemploque vitæ ad pietatem instituat, Paulum eligite: si aulicus magis placeat, qui ad miscenda in aula Principum negotia promptior sit; Macedonium renuntiate;* Populus Paulum habuit potiorem; quē tamen vix regimini admotum Constantinus relegavit in Pontum; (2) Eusebio Nicomediæ adnitente, omnium scelerum machinatore. (3) Marcellus etiam Episcopus Ancyræ, tunc bonæ famæ (4) (namque postea hæresis suspicione haud mediocri laboravit) Eusebianorum fraudibus, sede sua motus, jussus est exulare: nempe quòd in Concilio Nicæno, aduersus Arium, in Tyrio Conciliabulo, pro Athanasio strenuè stetisset; quòd librum composuisset aduersus Asterium Sophistam Arianæ dementiæ propugnatorem, hoc illi exilii causa, atque malorum fuere: namque stare contra grassantem hæresim, pro Athanasio & fide majorum, id demùm, apud conjuratos, crimen erat, quod impunè nusquam abibat: adeò

res

(1) *Socrat. l. 2. cap. 4. Sozom. l. 3. c. 3.*

(2) *Athanas. ad Solit. pag.* 813. *Sozom. l. 3. c. 3.*

(3) *Athanas. Apolog. 2. ad Solitar. &c. Socrates Sozomen. Epiphan.*

res, per illud tempus, præcipites agebantur. Hæc omnia sub Constantino evenere, qui tametsi plus gratiæ fideique Eusebianis indulserit, quàm tanti Principis gloria & dignitas postularent, nulla tamen unquam Ariani dogmatis pravitas tanti viri religionē violavit: exemplumque reliquit posteritati, quàm rari sint, inter aulicos deceptores, Principes non decepti.

12. Post hæc Constantinus moriens, Imperium in Filios, testamento, divisit: Constanti, (*) & Constantino Occidens, Constantio Oriens obvenit. Id testamentum eidem Constantio allatum fuisse memorant ab (1) Ariano quodam presbytero, qui tam bonam nactus occasionem, incauti Juvenis animum facile suis erroribus occupavit. Infelix Princeps, eo testamento, veluti aureo quodam poculo, hæresis venenum tota mente bibit, propinante Ariano; eodemque tempore Imperator, & perfidus evasit. Tunc demùm superstitione corruptum Imperium, atque Imperio armata superstitio Religionem oppresserunt: indeque ultima Orientis calamitas, atque extrema omnia mala fluxere:

(*) *Anno* 337

(1) *Ruffin. l.* 1. *cap.* 11. *Socrat. lib.* 1. *c.* 26. *Sozzom. l.* 2. *c.* 32. *Theodoret. l.* 2. *c.* 2.

xere: quid enim æqui, moderatique ſperandum eſt, ubi conveniunt, unaq; ſimul dominantur poteſtas, atque perfidia. Depravato Principe, eos quoque ſibi parant Euſebiani, qui Principi proximiores forent vel dignitate, vel gratiâ; in primis nobiles (1) fœminas, quarum ubique maxima potentia eſſe ſolet: atque in his ipſam Auguſtam: tùm (2) ſemiviros, qui apud Conſtantium valebant plurimùm; præſertim (2) Euſebium Eunuchum, reliquorum præfectum, & mortalium ſceleratiſſimum; cujus (3) arbitrio, Aula, Imperiũ & Imperator agitabantur. His Conſtantium, veluti vallo quodam, circum obſident; ne ſemel irretita fera unquam è manibus elaberetur.

(1) *Athanaſ. ad Solitar. p.* 819. *atque alii paſſim, &c.*

(2) *Athanaſ. ibid. p.* 834. *Gregor. Nazianz. orat.* 23.

(3) *Athanaſ. ibid. Amnian. Marcell. lib.* 18. *Iulian. Imp. ad Athenienſ. p.* 501.

13. Dum hæc agitarentur in Oriente, Romæ S. Silveſter diem (*) obiit paulò ante obitum Conſtantini: ſuccedit Marcus: qui etiam poſt paucos menſes, vitâ (*) defunctus eſt: Marco ſubrogatur (*) Julius: eodemque tempore Julius Eccleſiæ, Conſtantius Imperij moderamen ſuſcipiunt. Initio novi Regni Athanaſius, ſocijque calamitatis Epiſcopi (5) liberantur exilio: nam-

* *In fine anni* 335.

* *Anno* 336.

* *Anno* 337.

(5) *Socrat. l.* 2. *c.* 2. *Sozom. l.* 3. *c.* 1.

namque, uti (1) ferunt, Conſtantinus moriens ſcripto commendaverat filijs, Athanaſiũ exulem uti reducerent. Sed Athanaſij reſtituti (2) Conſtantinus junior precipuam gloriam tulit; nec defuit ſtudium Conſtantis; nam utrique Principi, tanti viri virtus maximo in pretio erat; & neuter Ariana ſuperſtitione laborabat: Feliciſſimi Juvenes Occidentalis Imperij ſorte; quibus, procul ab ea peſte, integrâ fide, ſanoque animo eſſe licuit. Conſtantius contra, coopertus Arianiſmo, Athanaſij reditũ ægre habuit; verùm tolerare neceſſe fuit; nam neque violare voluntatem Patris extremam; neque Fratrum inimicitias per initia Regni ſuſcipere è re ſibi fore arbitrabatur: ſed tamen Euſebianis, in Oriente, omnia permiſit; qui ubi rerum potentes facti ſunt, religionem omnem, quã jamdiù animo exuerant, fronte ſimul excutiunt: Nicænam fidem & Homouſion palam aggrediuntur, excuſſo pudore, ac ſimulatione depoſitâ: ſupercilium intolerandamq; ſuperbiam induunt: minas ubique ſpargunt: ſpirant furorem. Adeò rebelles animi, Aulæ aurâ, & Principum favore inſoleſcunt.

14. In-

(1) *Athanaſ. Apol. 2. p. 809 Socrat. lib. 1. c. 31. Sozom. lib. 3. c. 2.*

(2) *Ex Epiſtola Conſtantini Iunioris ad Eccleſiam Catholicam Alexandriæ, apud Athan. Apolog. 2. pag.* 805.

14. Inde (1)conceptis sceleribus admovent manum. Episcopos nuper cum Athanasio reduces, iterùm pellunt; in his Marcellum Ancyræ, & Paulum novæ Romæ; cujus Episcopatum (quod diù agitaverat animo) (2) Eusebius ipse, post aulam misere perditus, Nicomediâ repudiatâ, occupavit. Athanasium in primis, cujus reditu maximè urebantur, falsorum criminum invidiâ onerant, apud Constantium; novisque machinis sede Alexandrina parant movere; interim (3) Pistum quendam, veterem Arij popularem, Alexandriæ statuunt Episcopum Arianorum: splendida faciunt arbitria de Oriente universo: miscent omnia sus dèque.

(1) *Athan. ad Solit. p. 813. Apolog. 2. pag. 727. Socrat. l. 1. c. 5. Sozom. l. 3. c. 3.*

(2) *Idem ib.*

(3) *Epiphan. hæres. 69. Athan. Apolog. 2. p. 741.*

15. Ea fama alto vulnere percussit Romam; ingemuitque Julius Pontifex, eò loci deductam audiens in Oriente Religionem: ruere Fidem; grassari Hæresim; subverti jura, legesque omnes: nova Exempla in Ecclesiam, atque intoleranda introduci; ut Episcopi ad arma Religionem deducerent: ut vi militum, ac prophano Principum arbitrio agitarentur judicia Sacerdotum: ut Patriarchæ pellerentur sedibus, de Epi-

scopis

ſcopis arbitria fierent, inconſulta Romana Sede. Hærebant animo, Tyri, & Hieroſolymis, & novæ Romæ ab Euſebianis ſub Conſtantino patrata ſcelera; idque vulnus recrudeſcebat eorum famâ, quæ recens facta vulgabantur; & longè adhuc pejora timebat ſub Conſtantio futura, Principe depravato, atque in deterius, quotidie magis magiſque ruente. Itaque muneris ſui memor Chriſti Vicarius, ad ea mala extinguenda, adjecit animum, curamque omnem. Juris judicia (1) conſtituit Romæ: de Athanaſio imprimis, & Euſebianis, apud ſe fieri quæſtionem jubet: vocat partes ab Oriente: tùm ſuos Athanaſius Romam legat (2) procuratores: ſuos quoque expediunt (3) Euſebiani. Eâ re vulgatâ (4) Epiſcopi ex omni Ægypto Alexandriam feſtinanter convenientes, teſtimonium Synodicè adornarunt; quo innocentiam ſui Patriarchæ teſtatam Julio ficerent, exploratamque; quod teſtimonium, properanter per Legatos, miſerũt Romam. Idem (5) Epiſcopi ex ditione Antiochena plurimi præſtitere: volant epiſtolæ in Occidentem; curſitant nuncii ultrò

(1) *Athanaſ. Apolog. 2. pag. 746. 800. etc. 727. & alibi. Ad Solit.*
(2) *Idem ib. pag. 743.*
(3) *Idē Theodaret. l. 2. c. 6. Socrat. l. 2. c. 3. Sozzom. l. 3. c. 2.*
(4) *Athanaſ. Apol. 2. p. 720 Hilar. contr. Arian. Athan. ad African. p. 940.*
(5) *Athanaſ. Apol. 2. p. 745 768.*

ultrò citròq; (1) Romam, ab omni parte Orientis, Episcoporum confluunt multitudines, ut vectores publici non sufficerent; pars pro Athanasio; alii contra: Oriens movetur omnis: completur Roma Orientalibus: nunquam præclariùs vis, atque Majestas Romanæ Sedis apparuit: intellexitque tunc maximè Terrarum Orbis, se, in ejus Sedis Imperio atque tutela, positum esse.

(1) *Athanas. Apol. 2. ad Solit. ex epistola Iulii ad Eusebian. apud eũdem Athan. Socrat. Sozzomen. Theodoret. &c.*

16. At (2) Eusebiani, ut ostentatione fiduciæ timorem Athanasio injicerent, ultrò Julio instant, ut judicium fervidè persequatur: ubicumque velit Concilium ea de re fieri jubeat; vel si maluerit, solus, causâ cognitâ, sententiã ferat. Julius (3) Concilium quoque indixit, habendum Romæ; quò inclytum magis judicium foret: neque contentus procuratoribus, ipsum vocat Athanasium; citat Eusebianos, ut præsentes se Romæ sisterent. Athanasius convolavit, dicto audiens, & sui securus: Eusebianis angustiæ, ac trepidatio extiterunt: nam ea verba magnifica, quibus paulò ante, per vanitatem, id judicium urgere videbantur, excussit repentè primæ Sedis propè admota potestas

(2) *Athanas. ibid. pag. 575.*

(3) *Athanas. ibid. Theodor. l. 2. c. 3. &c. Iulius Papa ibid.*

testas

testas. (1) Itaque rati, sibi Romæ neque Constantii favorem, neque vim armorum auxilio fore, causæ suæ minus fidentes, timidique scelerum conscientiâ, quo minùs Romam venirent inanes causas excogitarunt; prætendentes bella Persarum, quasi impedimento essent ad illud iter suscipiendum. Verùm (2) Julius, cùm per litteras, tùm per Legatos Elpidium & Philoxenem, iterare jussa; sollicitare; urgere: illi contra, detentis Legatis, huc illuc tergiversari; nectere moras; diem ex die ducere: annus, ea in expectatione, ferè consumitur.

(1) *Iul. Pap. lit. ad Euseb. ibid. Athanas. ibid. pag.* 632

(2) *Idem ibidem, & historici passim, &c.*

17. Interim Athanasii mora in Urbe Roma minimè otiosa erat: namque accusatores suos, qui Eusebianorum procuratione fungebantur, coram Romano Pontifice, perjurii, omniumque scelerum (3) convictos exagitabat: suam innocentiam ac fidem, inimicorum dolos, fraudes, atque perfidiam publicæ luci exposuit; tantumque (3) pudorem eisdem Eusebianorum procuratoribus injecit, ut Româ, intempesta nocte, aufugerint, metu ac desperatione precipites.

(3) *Iul. Pap. ibid. apud eũdem. pag.* 577. *&* 582.

18 At

18. At (1) Eusebiani, ubi quotidiè magis compertum habent, malè sibi res in Occidente procedere; certi obfirmatique, Romanum non subire judicium, ad extrema se se projecere consilia: statuentes concilium inter se habere in Oriente, procul à Roma, & ab officio. Dum hæc agitarentur, Constantius cōventum Antiochiam cogebat Orientalium Episcoporum, ut celebriori pompa, rituque solemnissimo, aureum Dominicum dedicaretur. Templum id erat memorabile, quod pridem Antiochiæ à Constantino Patre fundatum, ipse recèns, cultu splendidissimo, absolverat; & cui ab ornatus splendore, auroque multo, *Aurei* nomen accesserat. Eam Encæniorum occasionem, aut forte oblatam, aut arte potiùs quæsitam, arripientes Eusebiani, Antiochiam convolavere; ibique, apertissimo secessionis genere, Antiochenum Conciliabulum instruxere, grande nefas machinaturi. Ea fama intentum Terrarum Orbem suspensumque tenuit, quorsùm tandem id inceptum erumperet; sed in primis Julium Pontificem cōturbavit; pessima facinora metuentem ex illo

(4) *Athanas. ad Solit. pag. 815. Theodoret l. 2. cap. 3. Consule Hermant. Vit. Athanas. t. 1. l. 5. c. 9.*

globo conjuratorum: Athanaſius quoque, ſumma celeritate, in Orientem, eâ causâ, rediit; anxius atque ſollicitus de periculo urbis Alexandrinæ, cui præſertim, procellas ac tempeſtates, turbo ille Antiochenus minari videbatur.

19. Sed ejus conventiculi exitus opinione deterior fuit; nam ſacrilegi machinatores, contemptis juſſis, violataque Majeſtate (1) Romanæ Sedis, calcatis legibus inſtitutiſque majorum, ab obſequio apertiſſimè diſceſſerunt: quin etiam, ejus cauſæ arbitrium ſibi arrogantes, judicium Julii Pontificis ſtatuerunt antevenire: Procul à Roma omnia ſibi proſpera, ac tuta fore: eò jam loci, & roboris conjurationem deveniſſe, ut timeri magis deceat, quàm timere: ſe in Oriente, ſub tutela Conſtantii, collocatos, extra ictum Romani fulminis eſſe: in factione ſatis virium, atque potentiæ; ſatis in aula præſidii, atque ſecuritatis habere: arma, præ juribus, valitura. In eo (2) igitur Antiocheno Conciliabulo, Euſebiani, ex reis in quæſtionemq; vocatis, repentini Judices conſedere; tùm raptim præcipitata ſententiâ, Athanaſium, maledictis one-

(1) *Apud Athanaſ. Apol. 2. pag. 753.*

(2) *Athanaſ. ibid. Socrat. lib. 2. c. 5. 6. Sozzom. l. 3. cap. 5.*

oneratum, iterum proscribunt; hostem Religionis judicant; convictum sceleris; eoque etiam nomine reum, quòd Tyri depositus, sine jussu deinde alterius concilii, sedem iterum recepisset: pro Athanasio, eorum suffragiis exauctorato, Alexandriæ renũtiant Episcopum (1) Gregorium quendam Cappadocem, expertem religionis hominem, crudelem, improbum, sceleratissimum: similia decernunt contra Marcellum Ancyræ, & Paulum novæ Romæ, & Asclepam Gazzæ, atque alios plures bonarum partium Antistites: alia item de Oriente ferè toto miscent arbitria, ejusdem iniquitatis, & arrogantiæ: jura, leges, humana, divinaque omnia confundunt.

(1) *Athan. ad Orthod. p. 930 ad Solit. pag. 860. 944. Apol. 2. p. 749. Gregor. Nazianz. orat. 21.*

20. Sed ea (2) mihi civilia veluti scelera fuisse videntur, initia dumtaxat, ac rudimenta malorum; quæ ab his initiis exinde profecta est, ea verò tempestas, atque ruina fuit. Nam Eusebianorum crudeles animi, effusi ad omne scelus, feroces, irrequieti; pro certo habentes, ea ipsorum præclara consulta, infirma irritaq; futura, si prodirent inermia, Constantium urgent,

(2) *Athanas. ad Orthod. p. 944. Apol. 2. p. 749. ad Solit. p. 815.*

 om-

omnium conſcium atque participem, uti Antiochenis incœptis manum daret, armatam vi & imperio; ingenioque Principis, ad crudelitatem ſatis projecto, ſæva inſpirant horridaque conſilia: crudeliſſimæ inſectationis initia movent. Tum, Imperatoris nomine, iniqua per Orientem, & acerba vulgantur edicta: Athanaſius, ſimul Epiſcopi Athanaſio conſentientes, ſedibus moveantur ſuis: Eccleſiæ illis tradantur, quos Euſebiani ſtatuiſſent: his pareant, atque cum his conſentiant populi, atque Urbes: repugnantes, extrema omnia patiantur; bonorum direptiones, cruciatus, exilia, cædes. Ad hæc juſſi Provinciarum Præfecti, atque militiæ duces, uti lictores, arma, milites, petentibus Euſebianis promptè ſuppeditarent. Ita demùm Ariana conjuratio, quę hactenùs dolo magis fraudibuſque pugnaverat, exindè nacta Principem, & Imperium, in perniciem Religionis, armata ferro prodiit.

21. Quæ autem fecerit Arianorum armata crudelitas, & furor prævalens, horret animus memorare, & manus in ſcribendo hæret. (1) Gregorius in primis

(1) *Idem ibidem Socrat. l. 2. c. 8. Sozzomen. l. 3. c. 5. Baron. Hermant. Vit. Athanaſ.*

mis cum Præfecto Philagrio, Arſacio Eunucho, ac Duce Balacio, hominibus ſceleratiſſimis, ſtipatus armis, atque militibus, Alexandrinam in urbem, populatoris in morem, improviſus irruit, ac furibundus: cui Euſebiani dederant in mandatis, ut per incendia & cædes, Eccleſiam occuparet: Athanaſium Epiſcopatu, atque animâ exueret: Fidem Nicænam popularetur: ejus fidei tenaces igne ferroque abſumeret. Sed Athanaſius, ab illa ruina divinitùs ereptus, evaſit: plebs, aræ, templa, Alexandriæ pars melior, furoris prẹda fuere: Nam qui fidem, vitâ & fortunis, potiorem haberent, ji, vi & armis miſerandum in modum oppreſſi ſunt: immiſſæ in eoſdem turmæ armatorum: Judẹi, Idolorumque cultores, ac peſſimi quique juſſi, ut in eorum domos, fortunas, liberos, animas; in virginum pudorem, matronarumque honeſtatem, pro libidine graſſarentur. Tùm direpta Templa, & impudicitiis cædibuſque conſcelerata: ſubverſæ aræ; data canibus Sancta; cæſi Sacerdotes; nudatæ Virgines; raptatæ crinibus Matres familiarum: Spumant viæ, ſanguine baptizato:

oppletur Alexandria, Catholicorum cadaveribus: ſcelus undique, luctus, vaſtitas: nuſquam atrociùs à Tyrannis ſævitum eſt.

22. Exinde Gregorius, quoniam non dum expleta cruore, ipſius erat ſitis, Alexandriam relinquens luctu obvolutam, & recenti ſanguine adhuc fumantem, per Ægypti (1) reliquas partes, perque totam ditionem Alexādrinam, ipſoſq; receſſus penitiſſimos Monachorum, crudelitatem circūduxit, ferocem atq; cruentam; proſcribendo, cædendo, jugulādo quot quot ab Ariana factione duceret alienos: in quibus memoratur clariſſimâ famâ confeſſor Potamon, quem Gregorius verberibus comminutum necavit; ultus dicendi libertatem, quâ vir fortiſſimus, in Tyrio conciliabulo, Euſebium, uti diximus, exagitaverat. Magnum quoque Antonium, per illam Gregorianam incurſionem, injuriis memorant violatum; cùm ab ipſo Gregorio, qui virum, terræ cœloque ſacrum, maledictis impetere auſus eſt, atque pro vili habere; tùm à duce Balacio Gregorii comite perpetuo, ſcelerumque miniſtro; qui ejuſdem divini viri

(1) *Athanaſ. ad Solitar. Apol. 2. de Vita S. Antonii tomo. 2.*

viri literas, pietate consilioque plenas, in frusta dilaceratas temerarius calcavit. Sed eam temeritatem, paulò post, morte luit dux Balacius: nam suo ipse discerptus, atque protritus ab equo, quem in impium Dominum ira Dei concitaverat, post triduum miserè periit.

23. Dum ea fierent in Ægypto, parte alia (1) Eusebiani, qui omnium Ecclesiarum prædam spe, atque animo devoraverant, Orientis solis provincias reliquas, à Syria in Thraciam, per Præfectos & milites, eâdem ferè vi ac ferocia populabantur. Nicænæ Fidei Præsules, moti passim sedibus suis, pars affecti verberibus, alii catenis onerati, ante oculos attonitæ plebis, extra urbes raptabantur: pro his invadebant pessimi Arianorum, sacrilegi, crudeles, catholicorum sanguinem anhelantes; satellites veriùs quam Episcopi. Ita, dùm sanctè Romæ consulitur, Oriens universus dilaceratur.

(1) *Epiphan. hæres. 72. Athanas. Apol. 2. pag. 762. Theodoret. l. 2. c. 6. Socrat. l. 2. c. 11.*

24. Sed insolentissimæ tempestatis fragor Romæ exauditus, Pontificis Maximi aures, atque animum feriit: terruit urbem: diremit consilia pacis. Tunc

demum Ariana conjuratio pro merito timeri cæpit; reique atrocitate attonitos mortalium animos tenuit: & sanè illius temporis imago multò lacrimabilis, aspectuque horrida videtur mihi fuisse: revecta Ecclesia, turbine repentino, ad tempora sanguinis, ac Tyrannorum: tempestas in Oriente: in Occidente fluctuatio: Religio in mari: in promptu naufragium: ubique metus, atque periculum: quibus rebus commotus terrarum Orbis, atq; immutata facies humani generis erat. Et augebatur in dies Romæ dolor adventu profugorum Orientalium, pejora nuntiantium, quàm quæ fama vulgaverat.

25. Tum Julius, de Athanasio quærens sollicitè, simulatque (1) compertum habet ubi lateret, illum celeriter è fuga & latebris Romam reducit: (2) exinde quinquaginta Episcoporum cōcilium, eo ipso, quem antea designaverat, die, æstuans Ecclesiarum solicitudine, atque ardens animo, aggreditur. Fama est, inter ejus amplissimi concilii Patres, Vincentium Capuæ, atque Osium Cordubæ, multosq; Occidentales fuisse: sed Orientalium Episcoporum pars major

(1) *Socrat. l. 2. cap. 8. 11. Sozzom. lib. 3 cap. 5.*

(2) *Athanas. Apol. 2. p. 245 Consule Godefridum Hermant. Vit. Athan. l. V. cap. 19.*

major erat: in quibus memorantur præsertim, Athanasius, Marcellus Ancyræ, Asclepas Gazzæ, Lucius Hadrianopolis: tùm (1) alii ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, & Palestina, quos Romam plurimos, veluti ad littus securitatis, tempestas illa orientalis detulerat. Hi postquam initum concilium fuit, de atrocissimo scelere sevitiâque Eusebianorum, de immensa Orientis calamitate, ac de sua quisque injuria, apud Julium expostulantes, majestatem Romanæ Sedis obtestabantur; in cujus fide, atque tutela esset positus terrarum Orbis, sive quà dies occidit, sive quà oritur: ejus Sedis esse, pro potestate Principatus & amplitudine juris, omnium ubique Sacerdotum injurias vindicare; subvenire miseris; prohibere vastitatem Ecclesiarum. Julius cum lacrymis excipiens, quæ ab Orientalibus exponebantur, eademque in capacem animum altè dimittens, postquam multis exagitasset Eusebianorum audaciam atque perfidiam, ritè perpensis omnibus, sententiam demùm pronunciavit, veteribus memoriis celebratissimam: Tyria, & Antiochena Eusebianorum acta, veluti

(1) *Iulius Papa Epist. ad Euseb. apud Athanas. apol. 2. pag. 584.*

luti temeraria, ſcelerata, impiaque reſcidit; (1) tùm Athanaſio magno cauſam adjudicavit: item Marcello: poſtremò Paulum, Lucium, Aſclepam, & reliquos Epiſcopos ab Euſebianis ejectos, loco ac dignitati reſtituit.

(1) *Athanaſ. apol. 2. p. 750. Socrat. lib. 2. cap. 11. Sozom. l. 3. c. 7.*

26. Non dùm dimiſſa Romana Synodus erat; cùm Philoxenes & Elpidius, quos Julius, ad ſolicitandum Euſebianorum adventum, in Orientem legaverat, triſtiſſimi rediere. Hi Euſebianorum inſolentiſſimas ad Julium literas (2), & in hiſtoria famoſas attulerunt; quibus literis facinoroſi homines, inter cætera querebantur, quòd Athanaſium atque Marcellum, illum Tyri, hunc Conſtantinopoli ſynodicè notatos, in communionem Romanus P. recepiſſet: tùm ſeceſſionem apertiùs, aliaque fædiora minabantur, ni Julius, Antiochenis ipſorum actis, ſuffragator accederet: addentes (3) per ſummum nefas: *nil Romanum Epiſcopum præſtare Orientalibus; neque ex magnitudine Vrbis, extimandam Epiſcoporum authoritatem*: quâ voce, ſanè inſolenti, Primatum Eccleſiæ, haud obſcurè, carpere viſi ſunt. Nimirum *ſceleratus quiſque aſperrimè recto-*

(2) *Socrat. l. 2. cap. 13.*

(3) *In Epiſt. Iulii apud Athan. apol. 2.*

rectorem patitur; & gens assueta humana, ac divina omnia contemnere, nil sanctum unquam, & inviolabile habere potest. Hæc autem prima semina hæresis in Romanæ sedis authoritatem videntur mihi fuisse; quæ jacta tunc ab Arianis in Oriente, per tempora deinde Photii, in luctuosam malorum segetem abjerunt.

27. Eæ (1) literæ in Romano concilio sunt recitatæ, cunctis indignatione frementibus: verum in rebelles Eusebianos, nihil gravius consultum: neq; enim opportunum Julio visum fuit, illos, etsi omni supplicio dignos, anathemate percutere; veritus, ne vis ejus fulminis, ruinam Orientis traheret irreparabilem; sed neque aliud Romanus Pontifex movit quidquam, quo Religionis eversor Constantius offendi concitarique posset; periculosum fore ratus, pungere feram spontè ferocientem; nec è re futurum Religioni sperabat, urgere principem per se præcipitem, & jam in schisma ruentem, cum Eusebianis, & Oriente universo. Itaque iram premens, uti tempora postulabant, Epistolam, suadente concilio,

(1) *Athanas. apol. 2. p. 759*

ador-

adornavit, Pontifice sanè dignam; authoritate plenam,& mansuetudine temperatam, quam in Athanasii (1) scriptis habemus integram; eâque Eusebianis mitiùs quàm pro scelere rescripsit; conciliumque posthæc dimisit.

(1) *Apolog.2.*

28. Latam à Julio sententiam, præter Eusebianos, terrarum Orbis reliqus venerabundus excepit: Constantius, etsi egrè tulerit, illam tamen extemplò violare minimè ausus est, primæ sedis veritus majestatem: Episcopi Orientales profugi, eo judicio recreati, pars in suas Ecclesias rediere, ejusdem Pontificis muniti literis; alii, pacatiora tempora expectantes, in Occidente substiterunt: Eusebianorum contumax, & obstinatus animus hæsit in scelere atque perfidia. Athanasius quoque in Occidente moram produxit, cui, in manus inimicorum, ferro adhuc instructas & vehementiùs concitatas, se se inserere, tutum non erat.

29. Post hæc (2) Eusebius Constantinopolitani usurpator Episcopatus, cujus manibus cõflagrabat Religio, author & actor tantarum tragædiarum, è vivis excessit, sui rationem supremo Judici

(2) *Sozzom. l.3.cap.6.Socrat.l.2.c.13.*

dici redditurus; quo mortis genere incertum eſt. Catholici Eccleſiam novæ Romæ, Paulo (uti juſſerat Romanus Pontifex) reddiderunt: factio Macedonium renuntiat ejuſdem urbis Epiſcopum; adnitentibus Theognide Niceæ, Mari Chalcedoniæ, Theodoro Heracleæ; Urſacio item atque Valente, qui exinde, ſublato Euſebio, factionis duces, ac veluti principes extiterunt. Plura hic de Paulo & Macedonio ſcribenda forent, quæ tamen præterire ſilentio, properanti mihi neceſſe eſt: pauca ſolùm de utroque dicam. Paulus vir longè maximus, per varias temporum vices, ſubinde novæ Romæ reſtitutus ab Epiſcopo (1) Romæ veteris, ac ſubinde à Conſtantio, molietibus Arianis, ſede urbeq; motus; demùm Orientis finibus exterminatus, primò Theſſalonicam diſceſſit; Singaram inde catenatus eſt ductus; poſteà Emeſam; poſtremò Cucuſum; ubi pro juſtitia, & Fide, ab Arianis crudeliſſimè ſtrangulatus occubuit. Macedonius verò Pauli, iniquiſſimus ac ſempiternus hoſtis, Epiſcopus novæ Romæ ſæpè deſignatus ab Euſebianis, ſæpè renuntiatus, eâ denique

(2) *Socrat. l. 2. c. 11. Sozom. l. 3. c. 7.*

que Ecclesiâ, vi armorum, per incendia, & cædes potitus est. Tùm scelere partam sedem diù obtinuit, horrendis conscceleratam criminibus, ac nefariis erroribus depravatam; donec eâdem sede pulsus, Pneumatomachorum factus hæresiarcha, virus contra S. Spiritus divinitatem evomuit.

30. Sed eo spatio temporis, quod inter memoratã Romanam Synodum, atque illam, quæ posteà Sardicæ habita est, medium fluxit, hic rerum status, ac modus fuit. Eusebiani, quorum obduratæ mentes neque Julii sententiâ flecti, neque Eusebii jacturâ frangi potuere, identidem Antiochiam convenientes, novis fidei cudendis formulis operam dabant; quas per literas, nunciosque mittebant Occidentalibus, præsertim verò Constanti, cui sani rectique videri cupiebant. Pars melior, duce Julio, cum Athanasio, & Osio, & Maximo Trevirensi, eorum fraudibus detegendis maximè intenta erat, ne Constantis (quò spectare videbantur Eusebiani) aut mens, aut voluntas caperetur. Athanasii causa, inter Julii sententiam, & pertinaciam conjuratorum, pen-

debat

debat anceps: Gregorius Eusebianorum præsidio fretus, atque pro vili habens Julii judicium, ex Alexandrina sede regiè, seu potius tyrannicè nihilo minùs dominabatur. Athanasius arcebatur procul ab Oriente armis, atque terroribus. Constantii mobilis animus, ductu arbitrioque ferebatur Arianorum. Constans in Occidēte Religioni studebat. Julius Pontifex, in tanta rerum desperatione, diu noctuque vigil, aleam periculi plenam incredibili dexteritate tractabat; ne spem pacis præcipitaret: interim Arianismus latè serpens, Orientem depascebatur: iisque rebus sex ferè anni consumpti sunt.

31. Dum (1) eo res loco essent, cùm neque finem mala, neque modum habitura viderentur; nec radius serenitatis ullus afflictis mortalibus affulgeret, Julius Pontifex ad generale Concilium adjecit animum; ratus, non alia via, tantas discordias dirimi posse. Igitur cum Osio Magno, & Maximo Trevirensi, Constanti optimo principi facilè persuadet, uti regias manus, ei commodaret operi, unde Christianæ reipublicæ salus, & requies unicè speraretur. Constans

(1) *Hilar. fragm. Athan. apol. 1. p. 476. Theodoret. l. 2. cap. 3. Socr. lib. 2. cap. 16. Sozzom. l. 3. cap. 10.*

ſtans, ut amãtiſſimus erat Religionis ac pacis, & rem ipſe ſuſcepit fervidè, & Conſtantium quoque fratrem in ſuam, ac Pontificis voluntatem traxit; metu, an gratia, incertum eſt. Decernitur generale Concilium; indiciturque de more terrarum Orbi. (1) Sardica eligitur, Illyrii civitas, Daciæ caput, in confinio ſita Occidentalis, atque Orientalis Imperii; ob eamque rem cùm Occidentalibus, tùm Orientalibus viſa opportunior: neque ſuſpectus locus eſſe poterat Euſebianis, utpotè in ditione Conſtantii, & longè poſitus ab Urbe Roma. Tùm ritè omnibus adornatis, concilio Sardicæ habendo, Romanus de more Pontifex, diem dixit. Exinde inſtauratæ ſalutis anno 347. ex omni ferè Europa, & Aſia, & Africa Epiſcopi convenerunt; quibus, pro Julio, præfuit (2) Oſius, perpetuus ductor, atque pater Conciliorum, atque una Philoxenes, & Archidamus ab eodem Romano Epiſcopo legati. Adfuit quoque Athanaſius magnus, ſimul, Marcellus Ancyræ, atque Aſclepas Gazzæ; quorum causâ in primis, ea Synodus agitabatur. Sed (3) Euſebiani, quibus legitima juris

(1) *Athan. ad Solitar. Baron. an. 347. Marca lib. 7. de Concord. c. 3. Godefroy. vit. Athanaſ. lib. 6. cap. 1.*

(2) *Athanaſ. ad Solit. 819. epiſt. Cõc. Sardic. apud Athanaſ. c. 2. p. 761. apol. 2. 766. 767. Hilar. contr. Arian.*

(3) *Hilar. in fragm.*

ris judicia, ubique, odio atque formidini erant, primò trepidare; mox conqueri apud Constantium; tergiversari; causare angustiam temporis à Julio cõstituti: sed quoniam, volente Constantio, eundum fuit, (1) Musonium comitem, & Hesychium ordinis militaris, milites, atque alia secum ferentes, quæ bello magis, quàm concilio usui esse solent; multaque præterea, in itinere, inter se consultantes, eo demùm bellico apparatu, Sardicam ingressi sunt. Verùm ubi exploratum habent, Sardicæ omnia ritè, ac ex ordine Religionis procedere; neque arma ibi, sed jura solùm valitura; nunquam induci potuerunt, ut concilio sese (2) adiungerent; sed in æde regia, seorsum à Patribus, sese continuere, intenti machinationibus, plurimaque quotidie in deliberatione versantes.

(1) *Athanas. ad Solitar. p. 818. apol. 2. 754. 755.*

(2) *Athanas. ibid.*

32. Itaque Osius, (3) desperatis Eusebianis, cum reliquis Patribus initium Concilio fecit. Confirmata in primis Julii sententia, pro Athanasio, Marcello, & Asclepa: tùm, in Gregorium virum sanguinum, & dolosum, cæterosque alienarum Ecclesiarum usurpa-

(2) *Hilar. advers. Arian. & in fragm. Athanas. apol. 2. ad Solitar. Theodoret. l. 2. c. 6.*

tores,graviùs consultum est: notati Eusebiani, scissique demum ab societate fidelium. De Fide motum nihil; censuere siquidem Patres,Nicænâ Synodo abundè Fidei, ac Religioni consultum fuisse: illam dumtaxat sartam, integram, inviolatamque retinendam: quæ causa est potissima, quamobrem haud alterum à Nicæno, id Concilium haberi soleat. Plurima tamen, ad corrigendos malos mores,Eusebianorum culpâ, in Ecclesiæ disciplinam illapsos, editis Canonibus, ea Synodus ordinavit: (1) præsertim verò, quoniam Eusebiani ea Jura interturbare visi fuerant, quæ à Christo,per Apostolorũ profecta Principem,perpetuò in Romana Sede quieverant;quibusq;sublatis,ire præcipitem Ecclesiã necesse foret;visum fuit Patribus optimum factu,supremum Judiciorum arbitrium,à Christo in Petro, Romæ tributum, eâ natâ occasione luculentiùs explicare; (2) ejusdemque Beati Petri honorare memoriam, à perditis sectatoribus, in Successore Julio,violatam. Igitur quòd eò arrogantiæ processissent Eusebiani,ut pendente Romæ Athanasii judicio, Gregorium intruderent

(1) *Vide infra cap. 5. in Concil. Sardicens. & p. 2. polem. dissertat. 1.*

(2) *Canon. 3.* 4. 5.

rent in Sedem Alexandrinam, eâ causà Canonem Synodus edidit; nefas esse, vertentibus judiciis, de Episcopis exauctorandis, in eorum Sedem subrogare alios, ante latam, ea de re, ab Episcopo Romano sententiam: item quòd iidem Eusebiani, per insolentiam, jactaverant, non oportuisse à Romano Pontifice Tyria, & Antiochena ipsorum acta rescindi, ob eam rem Synodus declaravit, liberum esse cuicumque, appellare Romanam Sedem; etsi fortè gravati ab ordinariis Judicibus, Romam recurrant, habere Romanum Episcopum in potestate, aut eorum causam per se cognoscere, aut dare Judices, quos voluerit: sanctè de omnibus, sapientissimèque in Sardicensi Concilio consultum, atque decretum est.

33. Sed (1) Eusebiani perpetuò factiosi, Sardicâ repentè Philippopolim discedunt: ibique Conciliabulo inter se inito, rabie veluti correpti canes, Sardicæ Statuta mordent, dilacerantque: his contraria decernunt: iteratisq; maledictis in Julium Pontificem, atque Romanam Sedem, in apertum Schisma præcipitant: denique Fidei quandam

(1) *Epiphan. hæres. 73. Hilar. Fragm. Sozzam. lib. 3. Aug. l. 3. cont. Crescon. c. 34. lib. 4. c. 44.*

formulam adornant, multò sceleratissimam, & confutam Arianismo: eaque omnia impia decreta spargunt in vulgus, sub arrogato nomine Sardicensis Concilii: iisque perfuncti facinoribus, in Orientem, longè ferociores, quàm venerant, sese proripuere.

(1) *Athanas. ad Solitar.* 280. *Sozom. l.4. c.1.*

34. Eo (1) in reditu Eusebiani, dum transirent per Thraciam, nacti Lucium sanctissimum Hadrianopolis Episcopum, quem veteribus odiis prosequebantur, illum, gravi catenâ collo vinctum, obligatisque post terga manibus, aliisque diris modis excruciatum, necarunt: multos præterea, in eadem Provincia, Presbyteros occiderunt, quòd eorum recipere communionem noluissent: nullamque Orientis partem exinde siverunt quietam esse. Parte alia; Sardicæ (2) restitutis Episcopis, Concilii beneficio uti non licuit; namque illos, armis, atque terroribus, Imperii sui finibus, Constantius Imperator arcebat: qui Eusebianorum ductu, dispositis per civitates custodiis, dederat in mandatis, ut si quis eorum clandestinum tentasset reditum, captus illicò necaretur. Ob eam rem (3) Athanasius, per duos

(2) *Athanas. ad Solitar.*

(3) *Athanas. Apol.* 1.

adhùc

adhuc annos, moram in Occidente traxit; partim Neſſi, quæ Thraciæ Civitas erat haud ignobilis,& Magni Conſtantini Patria ab aliquibus credita: partim Aquileæ apud Conſtantem Occidentis Imperatorem. Ita Sardicenſis quoque Synodus, tametſi non mediocrem indè utilitatis fructum, & Chriſtiana tunc Reſpublica, & omnis deinde poſteritas ceperit; ad ſanitatem tamen Euſebianorum mentibus injiciendam, tentata fruſtrà fuit: tàm fœda morbi ejus indoles, atque natura erat.

35. Sed quem hactenus de *Ariana* conjuratione ſermonem habui, idcircò longiùs produxi, & licentiùs fortaſſe, quàm compendiolum adornanti par erat; vt ejus involutiſſimæ Iliadis utcumque adumbratam imaginem, ſuo velut in lumine collocarem; ſpeciemque ejus rei, obſcurè minùs offerrem lectoris animo. Quæ poſtea evenere ab Sardicenſi Concilio, ad Gratiani, atque Theodoſii tempora, ſumma brevitate percurram: pleraque omittam: pauca vix tangam: nec niſi per ſumma capita legentis animum circumducam.

36. Sardicenſes (1) Patres, ne quid relin-

(1) *Athanaſ. ad Solitar. Theodoret. l. 2. c. 6. Ruffin. lib. 1. cap. 19. Baron. ann. 348. Hermāt. Vit. Athan. l. 6. c. 9.*

relinquerent intentatum, Vincentium Capuæ, & Eufratam Coloniæ ad Constantium legatos miserunt; qui rogarent Imperatorem, ut quæ Sardicæ Concilium ritè, & ex Religionis regula statuisset, ea in Oriente, ipsius beneficio valere, obtinereque possent. Hos cosdem suo quoque nomine Constans ad Constantium legavit: addito Salieno viro clarissimo, spectatæque fidei, atque pietatis, cui literas ad fratrem dedit efficacissimas, Regioque animo plenas: se impensius ab eo petere Athanasii reductionem; id nisi impetraret, certum sibi esse fixumque, Alexandriam cum exercitu proficisci, ut Athanasium in Sede sua propriis manibus collocaret. Constantius, (1) Fratris metu paulò sanior factus, Athanasium iterum ac tertiò per literas, (2) & legatione quoque adornatâ, satis honorificè revocavit; cunctantem etiam extimulans, uti reditum maturaret in suam Ecclesiam, quam Idolorum cultores, Gregorio haud ita pridem internecione deleto, metu, ac tyrannide liberaverant.

37. Athanasius, (3) qui nihil sine autho-

(1) *Athanas. ad Solitar. p.* 84. *Socrat. l.* 2. *c.* 18. *Idem Athan. ad Solit. p.* 823. 827.

(2) *Quæ extant apud Athanas. apol.* 2. *p.* 769. 770.

(4) *Athanas. apol.* 1. 676. *apol.* 2. 770. *ad Solit.* 823.

authoritate consilioque Romanæ Sedis movere consueverat, ubi omnia sibi ad reditum tuta fore intellexit, Aquileja Romam se contulit; debitis officiis prosecuturus Episcopum, & Ecclesiam. Româ profectus, cum Julii ad Ecclesiam Alexandrinam restitutoriis litteris, (1) primò appulit Antiochiam, ubi (2) longos cum Constantio sermones fertur conseruisse; atque ab eodem accepisse perpetuę pacis securitatem, Regiâ fide interposita, cum sacramenti religione; Indè in Ægyptum, lætissima ejus reditus præeunte famâ, contendit; dùm transiret per Palestinam, Hierosolymis ingenti plausu est exceptus (3) à S. Maximo ejus Urbis Episcopo; qui Synodum celerrimè advocavit, ut tanti viri communionem, quantâ posset celebritate reciperet; deque illius reditu, per synodicas literas, Ecclesiæ Alexandrinæ gratularetur: Alexãdriam denique Athanasius, octo annos desideratus, pervenit; cui obviam ex urbe, ac finitimis regionibus Episcopi, Sacerdotes, matronæ, virgines, pueri; examina etiam Monachorum, ex intimioribus solitudinibus, atque turmatim

(1) *Quæ extant apud Athanas. apol. 2. 770. & in histor. Socratis l. 2. c. 18.*

(2) *Athanas. apol. 2. & ad Solitar. Ruffin. l. 1. c. 19. Socrat. l. 2. c. 18. Sozzom. l. 3. c. 19.*

(3) *Athan. apol. 2. 774. ad Solit. 825. Socrat. l. 2. c. 19*

tim Populi procedebant, ut triumphantem velut exciperent, ac reducis Patriarchæ manum deoscularentur: Tunc plebs pastoris sui aspectu recreata diuturnas lacrimas abstersit; luctumq; Alexãdrina Civitas, recepto patre, deposuit. Tunc (1) Episcoporum visæ multitudines in Athanasii communionem sponte cõfluere: multi prætereà mortales, quos in partes Arianorum torrentis impetus abripuerat, è perfidiæ fluctibus emersere: Ursacius ipse atque Valens, Arii populares veteres atque famosi, pœnitentia ducti (fluxâ tamen, ac minimè diuturna) cùm apud Romanum Pontificem, tùm apud Athanasium sese ipsi retexuere. Pax demùm, Fides, Sanctitas Athanasii magni reditu in Oriente refloruere: interim Eusebianorum animos noctu, diùque invidia devorabat. Verùm non finis ille malorum, sed interruptio quædam, ac brevis veluti respiratio fuit: nam Constantii levis animus, Eusebianorum arbitrio turpiter mancipatus, jis impellentibus, ad ingenium paulò post rediit: iterumque, violata fide, ac sacramenti religione calcatâ, exagitare Athanasium, Catholicos pre-

(4) *Athan. ad Solitar. & apol. 1. ibid. Theodoret. l. 2. c. 9.*

premere, Nicænamque Fidem pessum habere cæpit.

38. Inter (1) hæc, Occidentis Imperium, Magnentii conjuratione, ex inopinato, erumpente, fædissimè ardere visus est: ea civilis flamma Constantem optimum Principem, optimèque de Religione meritum, primo juventæ suæ robore, alieno Christianæ Reipublicæ tempore, miserè absumpsit. Romanum quoque Pontificem Julium, virum Sanctissimum, pro Ecclesiarum pace, intentissimâ operâ laborantem, post annum à Constantis obitu, mors occupavit. Liberius Petri Sedem obtinuit, vir equidem fortis, ac rerum humanarum contemptor; homo tamen, ut reliqui, ex Adami luto profectus; ut mirum non sit, si humanis casibus obnoxius aliquando fuisse, hac ipsa in historia memoretur. Is (2) primò, etsi falsis Eusebianorum accusationibus præventus, secùs de Athanasio sentire visus fuerit, ubi tamen, octoginta Orientalium Episcoporum litteris, de omni re certior est factus, ejusdem Athanasii communionem, atq; tutelam, acriter, fortissimèque suscepit.

(1) *Hieron. Chron. Aurel. Victor. Eutrop. Zosim. l.2. Socrat. l. 2. cap. 20. Sozom. l. 4. c. 1.*

(1) *Lucifer. Calar. Hilar. fragm. Athanas. ad Solitar. 833.*

Con-

Constantius, sublato Fratre, debellatoque Magnentio; cæterorumque conjuratorum deletis armis, utroque Imperio potitus est. Tunc levem Principis animum, aspirantis fortunæ aura multò extulit insolentiùs; scintillamque omnem (si qua supererat) bonæ mentis extinxit; namque primò, immemor mortalis conditionis, (1) *Æterni* sibi nomen adscivit; (2) Eusebianis, ea in re, usus assentatoribus; qui, quam Filio Dei eripere nitebantur æternitatem, eam mortali fluxoque tribuere, nihil pensi habuerunt: tùm eam animo concepit (3) amentiam, Fratri omnia mala obvenisse, ob studium Catholicorum; sibi contra, rebusque suis è Cælo descendisse felicitatem, ob tutelam Arianismi; qua demùm obcæcatus opinione, constituit animo, sub Arianæ perfidiæ jugum Occidentem simul & Orientem subjungere; Athanasium quamprimum jugulare; delere genus omne Catholicorum: tàm facili negotio in amentiam felicitas humana degenerat.

(1) *Ammian. Marcellin. lib.* 15.
(2) *Athan. de Synod.*
(3) *Lucifer. Calarit. de reg. Apost.*

39. Igitur ea in sententia obfirmatus Constantius; vulgari edicta indicique omnibus (4) jubet: Placere *Æternitati*

(4) *Hilar. advers. Arian. & ad Constant.*

tati suæ, uti Episcopi ex omni Mundo in Athanasium subscribant: iidem, atque ubique simul Populi Arianorum recipiant communionem: qui dicto audientes minùs forent, ii compertum habeant, exiliis se, proscriptionibus, atque suppliciis omnibus affectum iri. Ita cõflatus turbo est insectationis ejus, quæ omnium, ab hominum memoriâ, crudelissima proditur: qui turbo, solutus in fulmina ac tempestates, in Occidentem simul & Orientem incubuit; omniumque ferè vastitatem tulit Ecclesiarum. Ea insectatio Occidentales corripuit primùm in Gallia, in conventiculo Arelatensi; (1) mox in Italiæ visceribus, per occasionem Mediolanensis Conciliabuli: utrobique Constantius exules egit Occidentalium Episcoporum præstantissimos; Paulinum Trevirensem, Mediolanensem (2) Dionysium: tùm Eusebium Vercellensem, Luciferum Calaritanum, Hilarium atque Pancratium Liberii Papæ Legatos; qui suamet virtute, & formidato Pontificis nomine, pro Fide & Athanasio, contra torrentem Arianorum, atque iniquam Principis voluntatem brachia direxe-

(2) *Hilar. ibi.*

(3) *Athanas. ad Solit.* 835. 842. *Hilar. cont. Arian. Lucifer pro Athanas. l.* 2. *Hieron. Chronic.*

rexerant: jiſque gravidus furiis, atrocibuſque conſiliis, per illud tempus, videbatur Imperatoris animus, ut nemini obſcurum foret, Occidentem univerſum, Conſtantis præſidio vacuum, brevi Ariani furoris, ſub eo Principe, prædam futurum.

(1) *Athanaſ. ad Solit. pag.* 832.

40. Sed (1) Euſebiani ſic exiſtimabant, obnoxium ſibi fore Terrarum Orbem; ſi Liberius, cujus maxima virtus, & ſumma eſſet in Eccleſia poteſtas, in ſuas partes traheretur. Itaque Conſtantio perſuadent, ut Æternitatis ſuę potentiam omnem eò convertat, ut illius animum in primis factioni paret: In ejus Epiſcopi authoritate momentum rerum ſitum eſſe; in quamcumque partem inclinaverit Romanus Pontifex, poſt illum Ducem Eccleſiam univerſam ituram: illud robur aut flecti, aut frangi oportere. Tùm verò periculoſiùs in capite vulnerari cæpit religio.

(2) *Idem ib.*

Conſtantius (2) Mediolano, ubi tunc moram faciebat, Euſebium Eunuchum (de cujus ingenio malo pravoque, pauca ſupra memoravimus) Romam cum muneribus legat, qui Liberium modis omnibus in Imperatoris ſententiam, ac

vo-

voluntatem trahat. Ubi Romam venit infamis ſemivir, apprehenſa Liberii manu, *annue Auguſto*, inquit, *ſubſcribe in Athanaſiũ, accipe munera, quibus te æternus noſter Imperator proſequitur*. Indignatus ad hæc Pontifex, negat aut ſpe, aut prece, aut pretio induci poſſe Chriſti Vicarium, ut eum virum damnet, cujus integritas, tot experimentis, & quæſtionibus manifeſta, in medio jam eſſet poſita; & quem præſentem ipſa eadem Romana ſedes tanta nuper celebritate abſolviſſet: nunquam futurum, ut Euſebianorum genus perfidum, ſceleratumque, Romano Epiſcopo utatur aut perfidiæ ſocio, aut ſcelerum ſuffragatore. Tùm (1) Eunuchus, deſperans muneribus poſſe violare virum æqui, juſtique tenaciſsimum; ſpirans minas, atque furorem, è colloquio diſceſsit; munera Imperatoris in Principis Apoſtolorum Templo ſuſpendit. Liberius contra ea re cognitâ, œdituis aſperrimè caſtigatis, Conſtantii munera extra Templum, liberrimâ fortitudine, projicit. (1) *Idem ib. & ſeq.*

Hæc ubi reſcivit Imperator amens irâ, extremum facinus aggreditur: (2) (2) *Idem ib.*

Me-

Mediolanum duci Liberium jubet. Quo intempesta nocte abducto in luctum, Roma repentè abiit: & facta est quasi vidua domina gentium. Tunc nutare Petri stabilis sedes, ipsaque Fides tremere, veluti è suo cardine, visa est. Mediolani (1) Constantius iterum Pontificis animum pertentat: liberrimè repugnantem, exulem (2) Beroeam pellit. Felix (3) in Romanam sedem intrusus est. Tum (4) etiam Osium Cordubensem aggreditur Imperator; suggerentibus Arianis; eumque senem ætate, famâ, gloria gravissimum, tùm virtute, rebusque gestis ubique clarum, ab Hispania, per summos labores, sæpiùs abductum, frustraque sæpiùs tentatum, in urbe Sirmio, exilii quodam genere, detineri jubet. Atque hæc in Occidente agebantur.

41. Eodem tempore, Eusebianorum arbitrio, Oriens Universus agitabatur. Athanasium (5) quæsitum ad necem, dirisq; modis exagitatum in fugam agunt: cujus fugæ deinde Sanctus Episcopus scripsit apologiam: Georgium (6) Cilicem, è summis fortunæ, ac vitæ sordibus eductum, nutritum sceleribus hominem,

(1) *Ammian. l. 15. Atha. ad Solitar. p. 835*
(2) *Idem Athanas. ibid. Theodoret. l. 2. c. 13.*
(3) *Hieron. Chron. Ruffin. l. 1. c. 22. Sozom. l. 4. c. 23. Socrat. l. 2. c. 19. Theodoret. l. 2. c. 14.*
(4) *Athanas. ad Solit. pag. 837. 841.*
(5) *Athanas. apol. 1. pag. 689. 690. ex protestat. Popul. Alexãdr. apud eund. p. 867. de fuga. p. 716. Sozzomen. l. 4. c. 8.*
(6) *Greg. Nazianz. or. 31. Gregor. Nyss. l. 1. cont. Eunom. Ammian Marcel. l. 22. Athan. ad Solit. 844. 861. de Synod. 880 912. contra Arian. de fuga, &c. Sozzom. l. 3. c. 6. l. 4. c. 7.*

minem, ad omne facinus projectissimum, impium, inurbanum, illiteratum, furti reum, & ea causa profugum, ingenio, crudelitate, moribus, Gregorio longe pejorem, in Athanasii locum substituunt: Alexandrinam Ecclesiam, atque urbem, igne ferroque vastant: insectationes, per nefarios Præfectos, Duces, & Comites, Diogenem, Syrianum, Heraclium, Faustinum, Cataphronium, atque alios, horrendum in modum integrant: Ægyptum totam, aliasque Orientis Provincias, luctu, funeribusq; miscent: scelera sceleribus; cædes cædibus cumulant. Hoc passu tempestate illa, Orientem simul, & Occidentem perfidia, & vastitas peragrabant.

42. Hic verò novus rerum ordo sese mihi panderet, scribendumque plurimum foret, cùm de Ursacio, ac Valente in deterius prolapsis; tùm de Photino, rebusque Sirmii gestis; atque de Arianismi fœdo, numerosoq; in Arianos meros, Semiarianos, & Macedonianos divortio: præterea de Aëtio & Eunomio, & Eudoxo, & Acacio, aliisque ejus generis portentis plurimis: ad hæc de tragædiis involutissimis, mirisque casi-

Mediolanum duci Liberium jubet. Quo intempesta nocte abducto in luctum Roma repentè abiit: & facta est quasi vidua domina gentium. Tunc nutare Petri stabilis sedes, ipsaque Fides tremere, veluti è suo cardine, visa est. Mediolani (1) Constantius iterum Pontificis animum pertentat: liberrimè repugnantem, exulem (2) Beroeam pellit. Felix (3) in Romanam sedem intrusus est. Tum (4) etiam Osium Cordubensem aggreditur Imperator; suggerentibus Arianis; eumque senem ætate, famâ, gloria gravissimum, tùm virtute, rebusque gestis ubique clarum, ab Hispania, per summos labores, sæpiùs abductum, frustraque sæpiùs tentatum, in urbe Sirmio, exilii quodam genere, detineri jubet. Atque hæc in Occidente agebantur.

41. Eodem tempore, Eusebianorum arbitrio, Oriens Universus agitabatur. Athanasium (5) quæsitum ad necem, dirisq; modis exagitatum in fugam agunt: cujus fugæ deinde Sanctus Episcopus scripsit apologiam: Georgium (6) Cilicem, è summis fortunæ, ac vitæ sordibus eductum, nutritum sceleribus hominem,

(1) *Ammian. l. 15. Atha. ad Solitar. p. 835*
(2) *Idem Athanas. ibid. Theodoret. l. 2. c. 13.*
(3) *Hieron. Chron. Ruffin. l. 1. c. 22. Sozom. l. 4. c. 23. Socrat. l. 2. c. 19. Theodoret. l. 2. c. 14.*
(4) *Athanas. ad Solit. pag. 837. 841.*
(5) *Athanas. apol. 1. pag. 689. 690. ex protestat. Papul. Alexādr. apud eund. p. 867. de fuga. p. 716. Sozzamen. l. 4. c. 8.*
(6) *Greg. Nazianz. or. 31. Gregor. Nyss. l. 1. cont. Eunom. Ammian Marcel. l. 22. Athan. ad Solit. 844. 861. de Synod. 880 912. contra Arian. de fuga, &c. Sozom. l. 3. c. 6. l. 4. c. 7.*

minem, ad omne facinus projectissimum, impium, inurbanum, illiteratum, furti reum, & ea causa profugum, ingenio, crudelitate, moribus, Gregorio longe pejorem, in Athanasii locum substituunt: Alexandrinam Ecclesiam, atque urbem, igne ferroque vastant: insectationes, per nefarios Prefectos, Duces, & Comites, Diogenem, Syrianum, Heraclium, Faustinum, Cataphronium, atque alios, horrendum in modum integrant: Ægyptum totam, aliasque Orientis Provincias, luctu, funeribusq; miscent: scelera sceleribus; cædes cædibus cumulant. Hoc passu tempestate illa, Orientem simul, & Occidentem perfidia, & vastitas peragrabant.

42. Hic verò novus rerum ordo sese mihi panderet, scribendumque plurimum foret, cùm de Ursacio, ac Valente in deterius prolapsis; tùm de Photino, rebusque Sirmii gestis; atque de Arianismi fœdo, numerosoq; in Arianos meros, Semiarianos, & Macedonianos divortio: præterea de Aëtio & Eunomio, & Eudoxo, & Acacio, aliisque ejus generis portentis plurimis: ad hæc de tragædiis involutissimis, mirisque

casi-

casibus, per illud tempus, earumque rerum causâ, in Oriente excitatis: Verùm eorum aliqua ad sequens caput rejicio; alia prætereo; namque brevitatis mihi præ rebus omnibus, habenda ratio est.

43. Quæ autem post hæc evenerint vix possum commemorare; cum eorum funestissima recordatio, admiratione pariter, ac dolore, defixum animum teneat. Nam, tot sceleribus, tantoque Catholicorum sanguine, non dum expleta Constantii sævitia, iterum majoriq; impetu (1) Osium Syrmii, Liberium in Beroea exules aggreditur: Conciliorum Præsidem Osium, senio laboribusque confectum, cruciatibus indignum in modum torquet: Summum (2) Dei Sacerdotem Liberium, ærumnis omnibus urget; tantaque scelerati Principis violentia fuit, ut hæ Religionis columnæ solidissimæ, non sine magno motu generis humani, concuti visæ sint: Eo enim premente, primò viribus, mox animo debilitati, tandem memorabili humanæ imbecillitatis exemplo, altissimo Dei judicio, fortes Israel * ceciderunt. Osii casus præcessit, stupente Terrarum Or-

(1) *Sulpit. Sever. l. 2. Athanas. ad Solit.* 841. *apol.* 2. 807. *Socrat. l.* 2. *c.* 26. *Sozomen. l.* 4. *c.* 11.
(2) *Hieron. Chron. Athan. ibid. Hilar. contr. Arian. Baron. ann.* 357. *Godofroy vit. Athan. t.* 2. *lib.* 8. *c.* 5.

* *Anno* 357. *vel* 358.

Orbe; paulò poſt Liberii defectio eſt conſecuta;ad cujus ruinæ ſtrepitum,Ecclesia tota contremuit. Alii quoque per idem tempus, pejori caſu, ſed minori fragore, conciderunt.

44. Sanè Oſii caſus multò gravis,ac miſerabilis fuit; namque ad eam fidei formulam demiſit animum, quæ in urbe Syrmio (1) ſecundò inſtructa, atque Urſacii ac Valentis additione (2) pejùs cumulata, omnium ſceleratiſſima proditur: quę fidei formula (3), Uſiæ, ac tam Homouſii, quàm Homoeuſii mẽtionem fieri vetabat: quin etiam, Patrem majorem, Filium ſubiectum ſtatuebat: quibus deliramentis, mera Arii inſania haud obſcurè continebatur: quamobrem jure ab Hilario, *Oſiana blaſphemia* ea vocari formula conſuevit. An ſubſcripſerit Oſius in Athanaſium? res mihi obſcura eſſe videtur: an ab eo caſu emerſerit? duplex fama eſt: quidam (4) negarunt, contendentes, in perfidia obſtinatum miſerè periiſſe: nos contra, (5) Athanaſio, & (6) Auguſtino acquieſcimus, qui erexiſſe ſe Oſium, atque in Eccleſiæ ſinu, & ſocietate diem objiſſe ſæpius, præclariſſimèque teſtantur.

(1) *Conſule Godefridum Hermãt. ibid.*
(2) *Hilar ad Conſtant.*
(3) *Extat etiã apud Hilar. de Synod. cujus meminere: Athan. de Synod. pag.* 902. 903. *Socrat. lib.* 2. *c.* 29. *Epiphan. hær.* 73.
(4) *Marcellinus, & Fauſtinus Luciferiani apud Hermãt. Vit. Athan. t.* 2. *l.* 8. *c.* 4.
(5) *De fuga p.* 704. *apol.* 2. *pag.* 807.
(6) *Lib.* 1 *cõſt. Parmen. c.* 4. 5. & 8.

(1) *Athanas. Apolog. 2. pag. 807. Hieron. chron. Hilar. cont. Arian. Sozzomen. Socrat. &c.*

(2) *Hieron. de Scriptorib. Eccl. cap. 97. Hilar. ibid.*

45. Quod ad (1) Liberium pertinet sic accepimus. Cum Beroëæ exilij tędio, annorumque pondere, ac metu intentatæ mortis miserè pressus, Romæ desiderio irrequietus arderet: cùmque his undis æstuantem (2) Fortunatianus Aquileæ, ac Demophilus Beroëæ æternùm execrandi, vehementiùs aggrederentur; fœdus tandem cum Arianis, pro libertate, ac reditu, victus animo pepigit: tum Beroëâ Syrmium reductus, ibi malè pactam fidem, vulgatis etiam ea de re litteris, pejus exoluit: subscripsit in Athanasium, demisit se in communionem Arianorum, oblatamque à Demophilo fidei formulam, non ea manu, qua Constantii munera extra templum projecerat, obsignavit:

(3) *Consule Dionysium Petaviam.*

46. Sed quod attinet ad fidei (3) formulam à Liberio receptam, longè alia ea fuit ab Osianâ, & ab illis omnibus, quas Athanasius recenset; sed ex tribus formulis conflatam illam, probati scriptores memorant: ex eâ nimirum, quæ contra Paulum Samosatenum, & eâ quę in Æncænijs Antiochiæ, & ea demùm quæ apud Syrmium contra Photinum pridem prodiderant. Sana quidem ac

planè

planè recta ea formula videri potuit, si verborum dumtaxat habenda ratio foret; nam errorem continebat nullum, eo solum nomine flagitiosa, quòd in ea Homousij mētio, silentio premeretur, tametsi ut illa erant tempora, eo ipso in silentio momenti multum inerat. Sed Liberius etsi Homousion, cōcordiæ causâ dissimulaverit, aliam tamen ab illo fuisse professionem exhibitam, author est Sozzomenus; quâ professione eos damnabat, qui Filium non (1) *ὀσίᾳ καὶ κατὰ πάντα* similem Patri dicerent. Multa de Liberii lapsu turbant scriptores novi, quorum sententiis excutiendis, haud illibenti animo immoratus fuissem; sed non erat hic locus. Duo interim apud se statuat lector: alterū in Liberio (quidquid deliquerit) non Romanum Pontificem, pro munere primæ Sedis agentē; sed hominem tantùm pro fluxa mortalium conditione, peccasse: alterum, hunc ipsum hominem Liberium (2) erectum casibus suis, veritatis tutelam iterum suscepisse, & post quam Romam rediit, ad pristinam quoque animi fortitudinem rediisse: nam postea, quoad vixit, pro fide ac Religio-

(1) *Substantia, & per omnia similem.*

(2) *Theodoret. l. 2. c. 17. Athan. Hilar. cont. Arian.*

ne tuenda, contra eosdem Arianos, magna fortiaque, atque præclara multa gessit.

47. Sed quoniam in eiusmodi formulas noster incidit sermo, pauca de his indicare, non abs re iudicaverim. Plurimas, viginti annorum spatio, Ariani ediderunt; obliquas, varias, ac sæpè posteriores prioribus adversantes. Undenas in libro de Synodis Athanasius memorat; quibus ex aliorum scriptorum monumentis tres, vel etiam plures accedunt aliæ: Sed in his omnibus, Consubstantialis, aut pretermissa mentio, aut vetita, aut etiam damnata erat: nam eò demùm cunctæ spectabant, ut Homousii fidem, ac simplicitatem Nicænæ professionis, perpetua oblivione contererent. Qui plura de his velit, Dionysium Petavium subtiliùs de iisdem rebus disputātem adeat: instituti nostri ratio, longiùs nos progredi, minimè patitur.

48. Constātius, (1) post Syrmiensem triumphum, de magnis Ducibus Liberio, & Osio relatum, Basilio Ancyrano (tunc Semiarianorum principe) hortatore usus, Generale Concilium, per causam

(1) *Athanas. de Synod. Hilar. Sozzom. Theodoret. l. 2. c. 21.*

ſam maximè Anomæorum, eorumque qui merum Arianiſmum profiterentur, fieri juſſit. Nam, eo tempore, Arianiſmum (quod antea innuimus) inteſtina bella diſtraxerant, & Conſtantius Semiarianorum tunc ſtudioſior, meris Arianis adverſabatur. Id Concilium, poſt plurimam deliberationem, varioſque caſus, eodem tempore, diviſim tamen, ac diverſo loco initum eſt. Occidentales, numero quadringenti, Arimini convenerunt: Orientales (1) Seleuciæ; numero ſexaginta ſupra centum. Seleuciæ (2) conventus, Arianis meris, atque Semiarianis inter ſe perpetuò digladiantibus, totus in altercationem abiit. Occidentales (3) Arimini, quandiù integra ipſis deliberatio fuit, ſanctè omnia decreverunt; poſtquam verò Conſtantii (4) juſſu, liberè decernendi poteſtas erepta eſt, intentata vis, atque incuſſi, terrores per Taurum Præfectum, omnes ferè præcipites acti, à priſtina fortitudine, atque ſententia defecerunt. *Tunc* (vox fuit Hieronymi) *ingemuit* (5) *Terrarum Orbis, & ſe Arianũ eſſe miratus eſt*, tantiſque ſucceſſibus elata ſuperſtitio, Terræ Cœloque viſa eſt inſultare.

(1) *Athanaſ. de Synod.* 869 870. *Sever. Sulp. l.* 2. *Hilar. de Synod. &c.*

(2) *Athanaſ. ibid.* 880. *Epiphan. hær.* 73. *Socrat. l.* 2. *c.* 32. *Sozzom. l.* 4. *cap.* 21.

(3) *Athanaſ. ibid.* 874. *Sulpic. Sever. l.* 2 *Theodoret. l.* 2 *c.* 15. *Sozzom. l.* 4. *c.* 16.

(4) *Hilar. fragm. Athanaſ. ad Afr p.* 934. *Sulpic. Sever. ibid Libell. Fauſt. & Marcellin. &c.*

(5) *Hieronymi hiperbole.*

49. Post hæc, Dei ultio, quæ lentò quidem, sed certo gradu nocentes sequitur, Constantium occupavit (*) qui Mopsucrene, quod Oppidum in radice Tauri Montis positum est, aut veneno (1), uti auctor est Nazianzenus, aut febri (2) quod alii putant, sublatus periit. Illum (3) in exitu vitæ perfidiæ ac scelerum ritè pænituisse, ejusdem Nazianzeni sententia esse videtur: cui tamen sententiæ, cùm Athanasii (4) de Constantio scripta repugnant, tum etiam illud obstat, quod morti proximus Imperator, ab Evozojo pessimo Arianorum baptizari (5) maluerit: argumentum sanè ingens superstitionis non abjuratæ:

50. (6) Defuncto Constantio, Imperium obtinuit Apostata Julianus. (7) Tunc disiectis parumper nubibus, brevis quædam serenitas mortalibus illuxit. Nam novus Imperator, pulsos à Constantio Episcopos, ad pompam simulatæ clementiæ, loco restituit. (7) Tùm Athanasius magnus, è solitudine & latebris, ingènti omnium plausu, tertiò rediit in sedem suam; quæ vacua, & libera erat, nam invasorem Georgium

* *Anno 361.*

(1) *Nazziàz. orat. 3. p. 68.*
(2) *Ammian. l. 21.*
(3) *Nazziàz. orat. 21. pag. 389.*
(4) *De Synod. p. 907.*
(5) *Socrat. l. 2. c. 37. Philostorg. l. 6. c. 6.*
(6) *Ammian. l. 22.*
(7) *Epiphan. hæres. 68. Socrat. l. 3. c. 4. Sozzom. l. 5. cap. 7. Gregor. Nazzianz. orat. 21.*

gium, post natos homines scelatissimũ, Idolorum cultores, quemadmodum olim Gregorium, non ita pridem, jugulaverant. Tunc Alexandria in primis, & reliquæ pariter Orientis urbes, Ecclesiæque, sanctorum Episcoporum reditu, admodum sunt recreatæ. (1) Redux Athanasius, Concilio Alexandriam convocato, varia percussit hæresum capita, sapienterque omnia composuit temperavitque, quæ temporibus apta viderentur: sua integritas fidei, & suus rediit Religioni color: (2) fracti parumper Arianorum animi, compressa ferocia: ac ut ipso (3) Nazianzeni dicto utar: *Imperavit Deus ventis, tempestas cecidit, tranquillitas facta est.* Verũ hæc paucorum mensiũ fuerunt induciæ; pax solida longè adhuc aberat. Pœnituit siquidem Julianum, eò usque Christianorum sanguine abstinuisse, tandiuque siuisse quietè vivere Galilæos. Itaque certus, Imperium omne, Idolorum servituti, subigere: omnia repentè, armis terroribusque miscere cœpit. (4) Athanasium in primis Alexandriâ pellit; ad cædem designat persequiturque, & fugientem quidem

(1) *Ruffin. l. 1 c. 27. Socrat. ibid. Theodoret. l. 3. c. 2.*

(2) *Socrat. l. 3. c. 3. Sozzomen. l. 5. c. 7.*

(3) *Orat. 21.*

(4) *Iulian. ep. 26. Theodoret. l. 3. c. 5. Ruffin. l. 1. c. 33. Socrat. l. 3. c. 11.*

jam oppreſsiſſet, niſi obuios ſicarios, vir ubique magnus, ſolertiſsima quadam (1) reſponſione luſiſſet: tum in Orientem univerſum flammas iniecit; indeque incendia, proſcriptiones, exilia, cædes, & ubique mala extiterunt. Sed mox Juliano ſublato, brevi admodũm intervallo denuò (2) reſpiravit Eccleſia, ſub Joviano Catholico pioque Principe. Sed Joviano poſt paucos menſes vitâ defucto, mala revixere; nam qui in oriente ſucceſsit Valens, perfidiâ & crudelitate, aut par, aut pejor Conſtantio fuit.

(1) *Sozzom. lib. 5. cap. 14. Socrat. l. 3. c. 11. Theodoret. l. 3. c. 5.*

(2) *Ruffin. l. 2. cap. 1. Sozzom. l. 6. c. 3. Athan. Greg. Nazianz. Socrat. Theodoret. &c.*

51. Poſtquam Valens Orientis Imperium ſuſceperat, Liberius Romæ (*) deceſsit; Eccleſia Damaſo datur. Hic maximus Pontifex primam curam adiecit ad Orientalem Eccleſiam; cuius extrema calamitas, ſupremæ manus vim atque operam poſtulabat. Cum (3) Orientalibus, de rebus omnibus, per litteras cœpit agere: legationeſque ad eoſdem pro tempore, ac neceſsitudine adornat: tùm (4) Concilium Romæ cogit, ibique, Urſacium, & Valentem bis rebelles, perpetuò infames gravi ſententia notatos damnat: eaque in

primis

* *Anno 366.*

(3) *Theodoret. l. 2. c. 17.*

(4) *Athanaſ. ad Afros. pag. 931.*

primis consulit, atque decernit, quæ ad afflictam, in partibus Orientis solis, erigendam, confirmandamq; Religionem, opportuna magis viderentur. Eodem tempore Athanasius, quem Jovianus, summis honoribus ornatum, restituerat, rebus in Ægypto, cœterisque ditionis suæ Provincijs, componendis pari solertia operam dabat: eâque tranquillitate usus, quæ post Juliani cędem consecuta fuerat, & quam nullus adhuc flatus turbaverat, digna Athanasio magno, atque præclara multa faciebat. (1) Amplissimam quoque Synodum habuit Alexandriæ; quæ Synodus, & vulneratum Nicænæ fidei honorem, fractumque robur consolidavit, & Pontificem Damasum, de omni statu rerum, datis literis, certiorem fecit. Ita per initia novi Regni, Damasus Romæ, Athanasius Alexandriæ, alij quoque viri Sanctissimi, in alijs Orientis partibus, pro rebus restituendis laborabant intento studio, atque conjuncta operâ.

(1) *Idem ib.*

52. Nec interea quieti erant Ariani. Valentem, quem antea in Arianismum Dominica uxor induxerat obsidentes, capiunt: Eudoxi præsertim operâ, notissi-

tissimâ famâ hominis, qui adeo sese in Valentis gratiā infudit, ut ab eo Ariano, cœcus Imperator, lustrali fonte mergi voluerit. Tùm aqua illa, sacra quidem, sed malè sparsa, transversam baptizati Principis mentem, magis ad superstitionem accendit; inductæque jamdiù per uxorem flammę, novum veluti alimentum fuit. Namque statim cum ipso Baptismate, acerbissimum Valens, erga cultores Nicænæ fidei, suscepit odium; eosque tandiù, malis omnibus, exagitare Sacramento decrevit, donec catholicorum genus omne, aut vi extirparet, aut excideret ferro. Verùm quominùs fax illa erumperet in catholicorum perniciem, Bellum Goticum obstabat; neq; enim furias omnes exerere, nec sevire pro ingenio sibi posse videbatur, curis militaribus impedita crudelitas; quare Valés, ut omnibus Imperij viribus Christo bellum moveret pacem cum Barbaris composuit. Hinc iterùm tempestas in Oriente: Sanctorū exilia, verbera, cruciatus, Urbium direptiones, luctus Ecclesiarum, sanguis, incendia, cædes.

53. Interea Magnus Basilius, qui ante

ante hoc tempus, privatam vitam atq; virtutem culebat, procul negotijs curisque publicis, aut Monachus in solitudine, aut Presbyter in Patria; laborantique Orienti, precibus magis ad Deum fusis, quàm operâ prestò fuerat; Eusebio Episcopo Cæsareæ defuncto, Cæsareensi Ecclesiæ præficitur. Tum propiùs publicæ utilitati admotus, pro Religione, ac salute Orientis, cũ Athasio magno, cæterisque fidei propugnatoribus conspiravit. Eidem Athanasio, datis literis, author fuit, ut cum Romano Episcopo, & occidentalibus de afflictissimis orientalis Ecclesiæ rebus, in primis ageret: ab ijsdem, datis literis, adornatisque legationibus, auxilium consiliumque peteret: idque Orientis nomine faceret, cujus antesignanus, & pater esset. Spem omnem orientalis Ecclesiæ, in Romana Sede sitam esse; quamcumque illa de fide, ac de hæresibus sententiam pronunciaverit, hanc populos omnes religiosissimè amplexuros; in ea authoritatem, in ea veri falsiq; regulã, in ea tãdem pręcipuã divini Numinis præsentiam esse. Tùm ipse quoque literas mittere, legatio-

nesque

nesque frequentissimè tùm solus, tùm una cum alijs Orientalibus ad Damasũ instituere; vicissim accipere, unà laborare; nunquam quiescere. Ita eo tempore, præ cœteris omnibus, divinus hic Triumuiratus, Damasus in Italia, Athanasius in Ægypto, Basilius in Cappadocia Orientalem Ecclesiam sustentabant, ne ad Valentis impetum rueret.

54. At Valens, qui jam gladium eduxerat, atque multorum Sanctorum cædibus cruentaverat, ubi de Basilio audivit, quod Episcopus esset factus, & Imperatoris incæpta audacter moraretur, ad eam arcem expugnandam signa movit. Virum aggreditur per Modestum Prætorio Præfectum, hominem sceleribus exercitatum, & notissimum crudelitatis ministrum: qui cùm, Cæsaream profectus, Basilium conuenisset, & in scopulum se incidisse intelligeret, de successu desperans, destitit ab incæpto. Imperatorem docet, Basilii flectendi, spem penitùs nullam esse. Valens ea fama motus, & admiratione magis viri, quam ira correptus. Cæsaream, haud iniquo animo, proficiscitur; eò ubi pervenit, templum adit;
offert

offert munera Ecclesiæ: in communionem Catholicorum parumper descendit: adeo ut quãdam bonę mentis scintillam concipere visus sit. Verùm post paulò, ijs omnibus evanescentibus (nebulæ enim erant) atque in deterius Arianus Princeps repentè præcipitans, exilij sententiam adversus Basilium apud se statuit; quam tamen sententiam quò minus subscriberet, ostento primùm filij, repentè morbo percussi, deindè fracti calami prodigio, prohibitus est. Igitur, cùm suo malo didicisset Valens, nulla vi expugnari posse Basilium, in ea desperatione Cappadociâ discedit, atque aliò furorem suum vertit.

55. Hic libenti animo commemorarem, qui tunc sermones Basilio intercesserint cum Modesto; qui, cùm ejus viri divina responsa, & plenam animi orationem obstupescens, inter admirationem, & iram quereretur, *neminem se offendisse, qui tanta dicendi libertate cum Modesto usus foret*, celebratum illud accepit à Basilio responsum: *non dùm fortasse in Episcopum incidisti*: Tùm etiam libens narrarem, ut Valens

Cæsa-

Cæſareæ Templum ingreſſus,cùm Baſilius ſacris operaretur, ibi primùm germanam Eccleſiæ faciem cognoverit: ut ad ſpeciem illam, non antea viſam, Religionis, defixus animo hæſerit: ut mox immoti Epiſcopi majeſtate perculſus, ſacro metu corripi, ac totis artubus contremiſcere viſus fuerit: ſed ea res longiùs me ab incæpto traheret.

56. Deſperato itaque Baſilio,in alias partes fuſus Valentis furor, ad inſtar turbidi torrentis, concitatiſſimo curſu, atque cruentis fluctibus, per Orientem univerſum ferebatur; plurimas regiones,igne ferroque vaſtans; atque miſeros Catholicos,exilijs,proſcriptionibus, cruciatibus, cædibus, ærumniſq; omnibus involuens: Sed in Antiochiã maximo impetu irrupit; indè in Syriam univerſam; tùm ſeſe in alias finitimas Provincias,magno fragore,majori ruinâ exoneravit.

His tempeſtatibus,ſolus propè Athanaſius in portu eſſe videbatur; qui in magnâ Eccleſiæ, ac ditionis ſuæ tranquillitate,alieno magis, quàm ſuo aut ſuorum periculo laborabat. Ea res mirum in modum Arianos urebat, qui

Atha-

Athanasio incolumi nil unquam è re suâ futurum sperabant. Ob eam causam Valentem acriùs extimulant; ne quem primum opprimi oportuisset, tamdiù quietum sinat: In Athanasio, ejus Belli summam sitam esse; nisi eo superato, victoriam nullam fore: eodem infenso animo esse Athanasium in Arianos, quo semper antea fuerat; eodem animo esse debere Arianos in Athanasium, quo semper antea fuissent. In illum iram omnem atque impetum conuertendum esse. Imperator, (1) qui ejusmodi stimulis minimè indigebat Alexandrinæ urbis Præfecto jubet, ut exulem Athanasium pellat. Ea re commota est Alexandria Urbs tota: plebs conuenit, obstat, ardet; seditio imminet. Tunc Præfectus, metuens tempestatem periculi popularis, Valentem de motu Civitatis per literas monet; interim nil gravius in Athanasium deliberat; plebs in eâ expectatione parumper quiescit, Sed Athanasius, vel quòd de insidijs divinitùs esset monitus, vel quòd ex eo tumultu inuidiam sibi timeret, clàm fugit, atque in sepulcro patris quatuor menses delitescit. Id ubi Populi animad-

(1) *Sozzom. l. 6. 12. Socra. l. 4. c. 13. Ep. hær. 68. Ruffin. lib. 2. c. 12*

maduertunt, cùm absentiam Pastoris pati non possent, & Episcopi desiderio majorem in modum eorum animi pertentarentur, periculosiùs quàm antea moveri cœperunt. Quare Valens re maturiùs considerata imperat, uti Athanasius petenti populo, avidæque plebi restituatur. Ita Valens Athanasium, & Basilium, quos maximè perditos voluisset, salvos relinquere coactus est: adeò mortalium consilia, & cæcos Principum conatus, Divina Providentia, quę omnia moderatur, eludit.

57. Et quidem divini Numinis consilio factum esse arbitror, ut Athanasio Magno hæc insperata tranquillitas existeret; ut qui vitam omnem inter fluctus, ac tempestates duxisset; mortem tandèm in sinu tranquillitatis obiret. Nam mihi Deus sic Athanasii tempora divisisse videtur, quasi vitam labori, mortem quieti destinasset. In eo igitùr interjectæ pacis, otio brevissimo, fulmen Arianismi, robur fidei, admiratio Sæculorum Magnus Athanasius vitâ, laboribusque defunctus * est. Ad quem virum, omnium opinione majorem exornandum, ea laus Apostoli apposita in

(1) *Saocrt. l. 4. c. 16 Theodoret. l. 4. c. 18. Sozzom. l. 6. c. 18. Cyril. ep. 1. Ruffin. lib. 2. c. 7.*

(*) *Anno* 371

in primis mihi videtur esse. *Plus omnibus laboravit, fidem servavit, cursum consumavit*. Tum Ecclesiam Alexandrinam Petrus suscepit; quem Athanasius moriens Episcopum designaverat. Orientalis Ecclesiæ onus, postquam prima columna, morte, subducta est, in Occidente Damasi, in Oriente Basilii, & Nazianzeni humeris, incubuit.

58. Post hæc, Alexandrinæ Ecclesiæ pax omnis, iterum turbata; expulsus Petrus; Lucius nequissimus homo, vi & armis intrusus: tùm iterum sanguine cędibus, turbine, atq; procellis, obvoluta civitas Alexandria. Valens, quamvis eo tempore bellum Gothicum instauratū fuisset, nil tamen, de instituto crudelitatis cursu vestigium flexit; in omnem Orientem, ad Catholicorum perniciem tempestates, naufragia, incendia, atq; ruinas tulit; nec priùs furori finem, quā vitæ fecit. Quare Arianismi plusquā civilis calamitas, usq; ad annum 378. in Oriente producta est: quo tempore, in clade Gothica (quâ, post Cannensem Romanis nulla funestior) Tyrannus ille absumptus igne, periit. Tunc Gratianus & mox Theodosius religiosissimi Prin-

cipes Ecclesiã Orientalem recrearunt: atque lacrymas, luctumq; à Catholicorum oculis absterserunt. Tunc pax rediit; Religio valuit; Arianismus ruit: cujus, etsi quędam malè relicta germina superfuerint, robur tamen excisum concidit ab radice.

59. Hic autẽ cursus fuit Arianę conjurationis; quæ nata sub ann. 320. extincta verò in Oriente sub ann. 380. sexaginta annos, quæ justa est hominis ætas, ibidem vixit. Ab exordio sui, usque ad Concilium Nicænum, flamma, & contentio videri potuit: à Concilio Nicęno usq; ad Constantini obitum, contagiũ veluti ac pestilentia; per sinuosos flexus doloso gradu serpens: postea verò, sub Constantio, Juliano, ac Valente, naufragium, ruina, vastitas. Eam Basilius, Navali bello comparavit, intempesta nocte, concitatoque mari commisso: Athanasius tempestati, Oceanique fortunæ: Nazianzenus incendio. Illam alii cum turbine atq; procellis; alii cum torrentibus contulerunt. Mihi verò, sæpiùs cogitanti, ea Orbis Terrarum perturbatio, expressa Inferorum imago, ubi sempiternus est horror, videri solet.

CAPUT



CAPUT SECUNDUM

De aliis quibusdam Orientalibus ejus temporis hæresibus, & schismatibus.

61. EQUE una tantùm hæresis Orientalem Ecclesiam, eo tempore dilacerabat; novæ semper ac penè infinitæ pullulabant in dies; quarum Ariana pestis, aut mater erat, aut nutrix, aut soror, aut socia. Namque primò, in ramos plurimos, eadem ipsa stirps mala abiit: mox tantam morum ac temporum corruptelam, in Orientem invexit, ut hæresum innumeræ, ac repentinæ multitudines passim existerent. Hic ego primùm de divortiis Arianorum, mox de aliis qui-

busdam hæresibus, & schismatibus pauca, & quam brevissimè dicam.

De Arianis, & Eusebianis.

62. ARianorum nomen primi ac præsertim obtinuerunt ji, qui Alexandrina in Urbe, sub annum 320. palàm insanientem, & ab Ecclesiæ obsequio discedentem Arium secuti sunt; quorum nomina superiori capite, sub initium * retulimus. Eusebiani verò ji vocari sunt cæpti, qui eodem aut sequenti anno, Eusebio duce Episcopo Nicomediæ, Arii ac sociorum, quos ob vulgatam hæresim Alexander damnaverat, tutelam susceperunt; quorum etiã nomina ibidẽ * recensuimus. Quod ad internam hæresim pertinet; Arianos inter, & Eusebianos, ne latus quidem unguis intercedebat; nam eadem, utrorumque mentem, insania corripuerat: quin imò de Eusebio Scriptores probati memorant, illum eà pestilentiâ, ante Arium, laborasse; quamvis communis superstitionis vexillum, Arius primùm extulerit. Verum inter Arianos primos, ac primos Eusebianos, nonnihil inte-

* *num.* 1.
* *num.* 2.

rerat

rerat; namque Arius & Ariani vulgatam hæreſim, ſicut ſuam ac propriam, tuebantur: Euſebius verò & Euſebiani veluti accedebant, alienæ cauſæ modò tutores, atque patroni; ſubinde etiam cognitores, Judices, atque arbitri. Illud prætérea, inter eoſdem, diſcrimen erat; quod Arius & Ariani judicio convicti; ſententiâque, ſemel ab Alexandro notati in Synodo Alexandrinâ, iterùm ab Oſio in altero Alexandrino Concilio, maximè verò Nicçæ; excluſique ab ſocietate fidelium, veluti peſtes publicæ vitabantur: Euſebius contra & Euſebiani, ſententiã ejuſmodi nequaquam ſubiverant; neque fuerant ab Eccleſia prohibiti; nec niſi poſt annos plurimos in Sardicẽſi Concilio, eorum aliqui notati ſunt: quare pleriq; Catholicorum, & viri etiam ſanctitate præſtantes, cum Euſebianis paſſim, ac diù communicaſſe feruntur.

63. Ex Arianis itaque, & Euſebianis, una quædam conjuratorum Reſpublica conflari cæpit; in duos diviſa ordines, velut in plebem, & Patres conſcriptos; in populum, ac Senatum: nam qui, inter populares conjurationis, Epi-

busdam hæresibus,& schismatibus pauca,& quam brevissimè dicam.

De Arianis, & Eusebianis.

62. ARianorum nomen primi ac presertim obtinuerunt ji,qui Alexandrina in Urbe, sub annum 320. palàm insanientem, & ab Ecclesiæ obsequio discedentem Arium secuti sunt; quorum nomina superiori capite, sub initium * retulimus. Eusebiani verò ji vocari sunt cæpti, qui eodem aut sequenti anno, Eusebio duce Episcopo Nicomediæ,Arii ac sociorum, quos ob vulgatam hæresim Alexander damnaverat, tutelam susceperunt; quorum etiã nomina ibidẽ * recensuimus.Quod ad internam hæresim pertinet; Arianos inter, & Eusebianos, ne latus quidem unguis intercedebat; nam eadem, utrorumque mentem, insania corripuerat: quin imò de Eusebio Scriptores probati memorant,illum eà pestilentiâ,ante Arium,laborasse;quamvis communis superstitionis vexillum, Arius primùm extulerit. Verum inter Arianos primos, ac primos Eusebianos, nonnihil intererat

* *num.* 1.

* *num.* 2.

rerat; namque Arius & Ariani vulgatam hæresim, sicut suam ac propriam, tuebantur: Eusebius verò & Eusebiani veluti accedebant, alienæ causæ modò tutores, atque patroni; subinde etiam cognitores, Judices, atque arbitri. Illud præterea, inter eosdem, discrimen erat; quod Arius & Ariani judicio convicti; sententiâque, semel ab Alexandro notati in Synodo Alexandrinâ, iterùm ab Osio in altero Alexandrino Concilio, maximè verò Nicçæ; exclusique ab societate fidelium, veluti pestes publicæ vitabantur: Eusebius contra & Eusebiani, sententiã ejusmodi nequaquam subiverant; neque fuerant ab Ecclesia prohibiti; nec nisi post annos plurimos in Sardicẽsi Concilio, eorum aliqui notati sunt: quare pleriq; Catholicorum, & viri etiam sanctitate præstantes, cum Eusebianis passim, ac diù communicasse feruntur.

63. Ex Arianis itaque, & Eusebianis, una quædam conjuratorum Respuplica conflari cæpit; in duos divisa ordines, velut in plebem, & Patres conscriptos; in populum, ac Senatum: nam qui, inter populares conjurationis, Epi-

ſcopi eſſent, plurimumq; aut dignitate, aut famâ, aut potentiâ valerent, ji ab ductore Euſebio, vocabãtur Euſebiani; ac velut in Senatorio ordine, inter Patres cõſcriptos, collocabantur: quorum partes erant, in judiciis, in conciliabulis, in aulâ potentiorum, conjurationem alere, ſuſtentare, augere; Catholicos & obſtantes, maximè Athanaſium opprimere. Reliquum verò conjuratorum vulgus, numerus atque turba, ſub trito magis Arii nomine, Ariani vocabantur; eamque illius Reipublicæ partem conſtituebant, quæ multitudinem efficit, & plebe ac populo continetur. Hoc politiæ genere uſus eſt, Senatus ille populuſque Arianus ad annum ferè 358. tametſi ea res nihil obſtiterit, quo minùs Arianorum nomen Euſebianis quoque promiſcuum foret; nàm quorum una eſſet mens & perfidia, eos diverſa vocum appellatione diſcriminare, nihil penſi, eorum temporum Scriptores, & Patres habuerunt. Poſt eum verò annum 358. extincto jam Euſebio, Euſebianorum quoq; nomen extingui cæpit; ac demum omninò periit: exindeq; infame ſolum Arii nomen poſteritatem obtinuit,

nuit. Sed præter Arianos, & Eusebianos, alia nominum, sectarumque divortia eam Satanæ Synagogam distraxerunt: de quibus divortiis statim pauca subnecto.

De Arianis meris, & Semiarianis.

64. MEri Ariani habebantur illi, qui Thaliæ tenacissimi, à mera primâq; Arii blasphemia, ne latum quidem unguem dimoveri paterentur. Semiariani verò ii dicebantur, qui à primo Thaliæ rigore aliqua ratione declinare, & cum Dei Verbo mitiùs viderentur agere; nec tamen adhuc ad sinceritatem Nicænæ Fidei, & homousii confessionē descenderent. Sed quoniam multiplici via & ratione deflecti à Thalia poterat, eam ob rem, Semiarianorum extitit multiplex, & varium genus. Ea divisio sub annum 327. Magno Constantino imperante, duobus annis post Nicęnam magnam Synodum, primò cæpit: primamque duxit originem ab ipsismet Ario & Eusebio; hi siquidem, non ex animi quidem sententia, sed tempori servientes, privatisque

rationibus ducti, omnium primi à Thalia declinarunt. Nam iidem Eusebius Nicomediæ, & Arius, hic exilii tædio, ille aulę ambitione victus, captiosâ quadam verborum circuitione apud Constantinum uti cæperunt, quò meliorem induisse mentem, descivisse à Thalia, ac Nicænis Patribus cõsensisse videri possent: eâque demum viâ, exilio liberati, in Imperatoris gratiam redirent; quod ipsis utinam non successisset ex voto. Quin etiam Arius, eodem consilio, fidei quandam formulam scriptam obtulit Constantino, ambiguam ac dolo plenam, & speciem quandam veritatis pręseferentem, quæ extat adhuc apud Socratem, (1) ac Sozzomenum (2). Tunc verò, sunt (3) qui putant, plures de factione ferociùs, tenaciùsque Thaliæ adhærentes, sese ob eam rem ab ipsius Arii societate indignabundos abstraxisse, ægrè ferentes inconstantiam Antesignani, qui ab suo primo instituto meticulosiùs declinasset; atque inde Arianismum in meros Arianos, & Semiarianos primò abiisse. Ita iidem ipsi Arianismi fundatores, ac veluti Patriarchæ Arius, & Eusebius, Semiarianorum

(1) *Lib. 1. c. 19. 20.*
(2) *Lib. 2. c. 26.*
(3) *Ruffin. l. 1. c. 25.*

norum fuisse principes, atque primi feruntur. Sed post annum 358. Ario longè antea, & Eusebio non ita pridem defunctis, Arianismi divortia in Arianos, & Semiarianos, aperta magis, & concitata extiterunt.

65. Sed merus Arianismus his presertim deliramentis continebatur: solũ Patrem verum Deum esse, solum ęternum, immutabilem, atque principio carenté: hunc ex æterno Deum, non verò Patrem ex æterno fuisse, sed tunc demum post quam filium produxerit. Filium ex non existentibus factum; propterea opus, & creaturam esse Κτίσμα κὴ, ποίημα; nec ejusdem, neque similis cum Patre sabstantiæ, nec ὁμοούσιον nec ὁμοιούσιον: naturâ mutabilem, potententemq; in malum desciscere; arbitrijque libertate, capacem virtutũ, ac vitiorum; atq; ad hoc, ante reliqua editum, ut illò Pater ad Mundum, & creata cœtera fabricanda, tanquam instrumento & administro, uteretur; utque omnipotentem Patris vim & efficientiam, quam nulla creata res pati, ac sustinere valuisset, in se primò reciperet temperaretque; temperatam deindè moderatamque crean-

dis

dis cœteris admoveret;ejuſq; rei cauſa Filium, præ reliquis omnibus, & excellentiori modo eſſe atque dici. Hæc erat inſania Arij mera ac veluti primigenia, quam ex illius Thaliæ fragmento, quod,in libro de Synodis repoſitũ, Athanaſius poſteritati ſervavit, tùm ex ejuſdem Arij ad Alexandrum, & Euſebium datis literis; atque ex ijs, quas plurimas ad diverſos,ea de re,ſcripſerat Alexander; ac demum ex ipſis Athanaſij operibus, alijsque vetuſtatis monumentis collegimus.

66. Eorum Princeps, qui ejuſmodi merum Arianiſmum profiterentur, Aëtius fuit; cujus deindè acerrimus diſcipulus, ac propugnator extitit Eünomius: tum hos Georgius Alexandrinus, Eudoxus, Euzojus, Uranius Tyri; & ex occidente Urſacius Murſæ, Valens Singidonis, Auxentius, Cajus,Demophilus,atque alij ſecuti ſunt:quibus aliquando Acacius etiãacceſſerat. Hi verò promiſcuè vocabantur Aëtiani, Eunomiani, *Ανόμοιοι* paritèr, quòd diſſimilem, & Εξȣκόντιοι quòd Εξ ȣ̓κ ὄντος *ex non ente factum* putarent Filium;tum etiam Ariani Troglitæ, ſive Troglo-

ditæ

ditæ, quod furtim in latebris convenirent. Qui omnes, uti diximus, Filium Patri diſſimilem, ex non exiſtentibus factum, creaturam & naturâ mutabilem præeunte Aëtio pejerabant, & merorum Arianorum Sceleratiſsimam ſectã conſtituebant.

67. Sed antequam ad Semiarianos accedam, duo hic lectores monitos volo; primũ quidem, ejuſmodi Arij amentiam ex Platonicis deliramentis manaſſe, præſertim ex Platonis illa Deorum triade, unde tot hæreſum multitudines, primis Eccleſiæ temporibus, in Chriſtianam religionem irrepſerunt. Nam quòd Plato tres prædicaſſet Deos, & eorum primum Patrem mentemq; potiorem vocaſſet; alterum verò Factorem & opificem, principiumque rerum omnium, mentemque poſteriorem, & hunc ab illo creatum: tertium denique (ut conijcitur) mundi animam ſtatuiſſet; ea cauſa fuit, cur ante Arij tempora, nonnulli, plus æquo Platonici, duriùs de Trinitate ſcripſiſſe videantur; quem poſtea errorem, majori perfidia, ſtrepitu, atque ruina Arius ipſe vulgavit.

68. Dein-

dis cœteris admoveret;ejusq; rei causa Filium, præ reliquis omnibus, & excellentiori modo esse atque dici. Hæc erat insania Arij mera ac veluti primigenia, quam ex illius Thaliæ fragmento, quod,in libro de Synodis repositũ, Athanasius posteritati servavit, tùm ex ejusdem Arij ad Alexandrum, & Eusebium datis literis; atque ex ijs, quas plurimas ad diversos,ea de re,scripserat Alexander; ac demum ex ipsis Athanasij operibus, alijsque vetustatis monumentis collegimus.

66. Eorum Princeps, qui ejusmodi merum Arianismum profiterentur, Aëtius fuit; cujus deindè acerrimus discipulus, ac propugnator extitit Eünomius: tum hos Georgius Alexandrinus, Eudoxus, Euzojus, Uranius Tyri; & ex occidente Ursacius Mursæ, Valens Singidonis, Auxentius, Cajus,Demophilus,atque alij secuti sunt:quibus aliquandoAcacius etiãaccesserat.Hi verò promiscuè vocabantur Aëtiani, Eunomiani, Ανόμοιοι pariter, quòd dissimilem, & Εξυκόντιοι quòd Εξ ὐκ ὄντος *ex non ente factum*putarent Filium;tum etiam Ariani Troglitæ, sive Troglo-

ditæ

ditæ, quod furtim in latebris convenirent. Qui omnes, uti diximus, Filium Patri dissimilem, ex non existentibus factum, creaturam & naturâ mutabilem præeunte Aëtio pejerabant, & merorum Arianorum Sceleratissimam sectã constituebant.

67. Sed antequam ad Semiarianos accedam, duo hic lectores monitos volo; primũ quidem, ejusmodi Arij amentiam ex Platonicis deliramentis manasse, præsertim ex Platonis illa Deorum triade, unde tot hæresum multitudines, primis Ecclesiæ temporibus, in Christianam religionem irrepserunt. Nam quòd Plato tres prædicasset Deos, & eorum primum Patrem mentemq; potiorem vocasset; alterum verò Factorem & opificem, principiumque rerum omnium, mentemque posteriorem, & hunc ab illo creatum: tertium denique (ut conijcitur) mundi animam statuisset; ea causa fuit, cur ante Arij tempora, nonnulli, plus æquo Platonici, duriùs de Trinitate scripsisse videantur; quem postea errorem, majori perfidia, strepitu, atque ruina Arius ipse vulgavit.

68. Alterũ verò Arianos Ariomanitas dictos fuisse; quo nomine appellandos eos Constantinus Magnus præcepit; eorumque pestilentem, ac detestandam hæresim judaicam à Patribus, & judaicâ deteriorem vocari consuevisse: cujus rei causam elegantissime indicavit Nazianzenus Theologus, qui in explicando Trinitatis mysterio, cauendum esse docuit, ne *naturas scindentes, secundum Arij rectè dictum furorem, in Judaicam paupertatẽ concludamur, unicam numero æternam naturam agnoscentes, atque in Divinam naturam invidiam inducamus, solo ingenito Divinitatem circumscribentes; quasi timeamus ne pareat nobis Deus, si sit Pater Dei veri, & naturâ paris.*

69. Semiarianorum genus, multiplex ac varium fuit; inque sectas plurimas, portentosâ quadam vocum sententiarumque varietate, discessit; Sed earũ tres famosæ magis, atque præcipuæ memorantur; Prima eorum erat, qui tametsi animum non inducerent, ut *homousij* vocem, fidemque reciperent, Filium tamen *ὀσία substantiâ*, *καὶ κατὰ πάντα per omnia*, Patri similem affirmabant

bant; & homouſij loco, homoeuſion adſtruebant. Horum anteſignanus, ac Princeps Baſilius Ancyranus haberi ſolet, qui Marcelli Ancyrani Epiſcopatum inuaſerat, homo in Conſtantij aula plurimum ualens, & eruditionis fama clariſsimus) poſt quem ibant Georgius Laodicenus, Silvanus Tarſenſis, Sophronius Pompejupolitanus, Eleuſius Cyzicenus, Macedonius Conſtantinopolitanus (qui contra Spiritum Sanctũ perfidiam execrandam poſtea vulgavit) Marcus Aretuſius, atq; alij; quorum ſententia mitiſsima omnium fuit, atq; adeò viſa proxima veritati, ut in illam (uti memorant) Euſebius Samoſatenus, & Meletius Antiochenus viri ſanctiſsimi aliquando deſcenderint; & Athanaſius ipſe, in Arianorum genus omne implacabilis, ejus ſententiæ authores, fratres vocare non dubitaverit.

70. Semiarianorum factio altera, eorum erat, qui Filium nec ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ, neque ſimilis, nec homouſion, nec homœuſion eſſe volebãt; proindeq; tàm Ομουσίυ *conſubſtantialis*; quã Ομοιυσίυ *ſimilis ſubſtantiæ* vocabula, veluti peregrina, & ab uſu ſcripturarũ abho-

abhorentia rejiciebant:neq;tamen dissimilem Patri Filium affirmabant, quin potius Ἀνόμοιον execrabantur,& anathemate feriebant. Filium itaque Patri similem statuebant; non tamen ὐσία substantiâ, sed quemadmodum statua, vel imago picta exemplo suo similis esse solet, summâ facie, externisque dumtaxat coloribus, ac lineamentis; simulque negabant,creaturam illum esse unã ex reliquis, ac veluti de vulgo creaturarum. Ea in heresi Acacius fuit Episcopus Cæsareæ,ejusdemq; primus author habetur;cujus sententia,tametsi à mero Arianismo paulò, verboq; tenus deflectat,ab eodem tamen,re ipsa nihil aberrat. Et sanè Acacius sese à merorũ Arianorum grege, odio magis ac simultate, quàm hæresi, aut sententiâ distraxit.


71. Tertia demùm Semiarianorum secta, Macedonianorum, sive Pneumatomachorum erat; quorum alii de Verbi Divinitate cum primo Semiarianorum genere; alii cum catholicis sentiebant; sed utrique in Sanctum Spiritum delirabant. Ita verò hæresi 74. Epiphanius scribit de hoc genere Arianorum. *Ab his Semiarianis* (videlicet primi generis

neris) *& orthodoxis, monstrum quoddam, ut ita dicam, biformium hominum, ac semiferorum contra nos excitatum est: quales Centauros, aut Panas, aut Sirenas fabularum nobis auctores ediderunt:* ac subinde docet, ejus generis pestiferos homines, bellum Spiritui Sãcto sub Macedonio duce intulisse, Macedonianos propterea vocatos & Pneumatomacos: eorumq; alios, planè rectè credidisse de Filio; alios verò secùs. Hi Spiritum Sanctum non Deum, sed creaturam statuerunt; neq; plus esse, quàm Patris atque Filii ministrum, ac veluti servum, nihilo magis præstantem Angelis, quàm ordinis quodam supremo gradu. Fuere præterea inter illos, qui arbitrarentur, non aliud quidquam Sanctum esse spiritum, quàm vim quandam sanctificantem, quod pariter accepimus ab Epiphanio: atque hæc satis de divortiis Arianorum.

72. Hoc loco curiosius à quibusdam inquiri solet, ex tot tamque variis Arianorum sectis, cuinam præsertim Constantius Imperator adhæserit? Sed ea res (ut opinor) neque ipsimet Constantio comperta satis fuit; cujus cæca

mens

mens, omnique vento mobilis, modo huc, modo illuc, nunquam eadem aut ſibi conſtans, ſemper incerta & varia ferebatur. Nam modo huic Semiarianorum gregi, modo illi; jam Baſilio Ancyrano, jam Euzojo & Acacio; aliquando etiam Arianis meris, ſtudere videbatur: quamq; heſterna die fidei formulam ſuſcepiſſet, eam mox repudiatam, repentè cum alia commutabat, hanc etiam poſtridie cum tertiâ commutaturus. Nam qui ſemel fidem, quæ una eſt, fideique germanam regulam animo excuſſerit, hujus mentem veluti navim, clavo & gubernatore carentem, vagam errantemq;, arbitrio ventorum circumduci neceſſe eſt: plerumque tamen Arianis meris, & Anomæis, quos frequentiùs exagitavit, adverſabatur. Hanc Conſtantii levitatem mobilemq; perfidiam, vivaciſſimis coloribus S. Hilarius depinxit; hunc Patrem legat, qui ea de re certior fieri velit.



De

De jis, qui merum Arianiſmum aliis erroribus cumularunt, & primùm de Aëtio.

73. AËtius natione Syrus, patriâ Antiochenus, genere obſcuriſſimo fuit: defuncto patre, puer admodùm, in extremæ fortunæ ſordibus, relictus, ad aurificinam ſe contulit; eâq; in arte ſummus evaſit. Inde impatientem abiectæ ſortis animum ad ſublimiores appulit diſciplinas; ſubtilemque, acutam, & ſophiſticam diſſerendi rationem ſectatus, brevi tempore ingenii famam eſt conſecutus. Exinde, cùm eſſet moribus perditis, indolis ferociſſimę, ingenio ſuperbus, indocilis, temerarius; cùmq; de rebus divinis, ſacrarum literarum omninò rudis, arbitria ſplendida facere non dubitaret, peſſimus evaſit hæreſiarcha. In Arianiſmum primò ruit; ob eamque rem, a Leontio caſtrato Antiochiæ Diaconus eſt ordinatus: tùm merorum Arianorum, uti diximus, agmen ducere cępit: horrendumque in modum pejerans, Filium & Spiritum Sanctum, exutos Divinitate, in creatarum rerum ordinem redigebat. Sed mero Arianiſ-

mo, ſcelerata inſuper dogmata addidit
hujuſcemodi: hominis perfectionẽ in re-
rũ divinarum cognitione dũtaxat ſitam
eſſe; reliquas verò vitæ actiones, quæ
vulgò malæ aut bonæ vocari ſolent, ſi-
vè quæ jubentur, ſivè quæ prohibentur
legibus, nihil ad futuram vitam perti-
nere: Fas eſſe (quod horret animus di-
cere) Venerem ſequi, quòcumque ferat,
etiam ad nefanda: aurem ſcalpere, na-
res emungere, alvum deponere, ac ve-
nerem exercere, perinde eſſe: naturæ ea
omnia æquo jure deberi: quarum rerum
cauſa *Impii* atque *Athei* Aëtio cogno-
mentum acceſſit. De Deo, Deique
ſubſtantia, geometrica via & ratione
diſſeruit; dialecticâ uſus, & brevi qua-
dam ſyllogiſmorum complexione; qua
in re nuperum imitatorem habuit Be-
nedictum de Spinoza, famoſum ætate
noſtra ſectarium, qui Amſtelodami He-
anno 1633. bræus natus,* Semichriſtianus deinde
factus, Atheus demùm vixit & Atheus
anno 1677. periit, in Aga comitis, phtyſi ſublatus.*
Hic peſſimus Atheiſta, omnium Atheo-
rum monumenta revolvit; ut ex multo-
rum deliramentis, inſaniſſimum quod-
dam ſiſtema, peſtiferumque compo-
neret

neret: alia ex Amalrico, quædam ex Davide Dinando, plurima ex Epicuro mutuatus, ab Aëtio (cujus cognomentum placebat) tùm eam, quam dixi, rationem, de Deo geometricè disputandi usurpavit, eaque usus est in suis Ethicis posthumis; tùm nefandas opiniones de hominis perfectione, ac de furiosa vitiorum omnium licentia: quibus opinionibus tractatum Theologico-politicum aspersit, inferno igne, una cũ Ethicis, reliquisque posthumis operibus, delendum.

De Eunomio.

74. Eunomius Aëtii(1) discipulus, natione Cappadox, in summis etiam sordibus fortunæ ac generis natus, impietate penè Magistrum superavit; & Arianismum blasphemiis cumulavit ejusmodi: *Filium Patris servum, atq; mancipium esse: Spiritum Sanctum, ante omnia opera, à Filio creatum: Sanctum Josephum, Deiparæ virginitati, post partum, minimè pepercisse: se de rebus divinis ignorare nihil: ita se nosse Deum, sicut ipsum se Deus novit.* Ad hæc, à Christo Domino institutam,

(1) *Epiphan. in ea hæres. Philostorg. l. 6. cap. 3. Sozom. Gregor. Nyssen. contr. Eunom. Theodoret lib. 4. de hæres. c. 3.*

& ab Apostolis traditam Baptismi normam, atq; legem, subvertit; ausus sectatores suos, sub hac impia formula, baptizare: *In nomine Dei increati: & in nomine Dei creati: & in nomine Spiritus Sanctifici, atq; ab creato Filio creati.* Unicâ etiam immersione Eunomius baptizare solebat; ut eo ritu, unam Dei Naturam, unamq; Personam profiteretur; eam ob rem Constantinopolitana prima Synodus eademque Æcumenica Secunda, octavo canone decrevit, ut ad Ecclesiæ sinum redeuntes Eunomiani, qui in eam formam, modumque baptizati forent, velut Ethnici reciperētur, nimirum ut cathecumeni fierent ac postea baptizarentur.

75. Sed hic animum advertat lector, non quemcumq; unicæ immersionis usum, sed abusum dumtaxat Eunomianum velut impium, & irritum eo canone prohiberi, quidquid ex adverso Matthæus (1)Blastrius in suo Nomocane deliret. Quare tametsi cùm Latini tùm Grçci trinâ plerumq; seù immersione, seu aspersione baptizent, nihil tamen ea res prohibet, quo minus unicâ baptizare, quandoque sit licitum, quandoque

(1) *Blastares cap. 2. litt. A.*

doque etiam laudabile ac neceſſarium: Ita quoniam peſtiferum genus Arianorum, in Hiſpaniam illapſum, ad inſinuandam hæreſim de divinarum Trinitate naturarum, trinâ in baptiſmate immerſione abutebantur; eam ob rem, unicam dumtaxat immerſionem, catholicis Hiſpanis, in medio Arianorum poſitis, Gregorius Magnus(1) prçſcripſit, datis, ea de re, ad Leandrum Epiſcopum literis, quarum poſtrema verba hic refero. *Sed ſi nunc uſq; ab hæreticis infans in Baptiſmate tertiò mergebatur, faciendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, Divinitatem dividant; dumq; quod faciebant faciunt, morem veſtrum ſe viciſſe glorientur.*

(1) *S. Gregorius Magnus lib. 1. epiſt. 41 ad Leãdrum, & habetur in Concilio Toletano 4. c. 5.*

De Aërio.

76\. AErius natione Ponticus, primò Euſthatij Sebaſteni, nequiſſimi hominis, neceſſarius, atque ſodalis fuit: monaſticæ vitæ genus ſimul ſecuti, eandem ſolitudinem, circa minorem Armeniam, uterq; coluit. Sed poſtquam Euſthatius, Sebaſtenum Epiſcopatum obtinuit, in quem Aërii ambitio

bitio incredibilis ferebatur; ejus rei æmulatio veterem, quæ inter eos intercedebat, necessitudinem distulit: pro ea, simultas, & odium invasere. Verum Eustathius, invidiâ vulneratum Aërii animum mulcere cupiens, illum Presbyterum ordinavit; eidemque Xenodochii curam concredidit; spe fore, ut iis publicis honoris, ac benevolentiæ significationibus, æmulationis ardor, in Aërii sinu, paulò mitesceret: sed Aërius implacabilis, ferox atq; amens libidine imperitandi, factus repente novæ sectę antesignanus, & ductor, secessionem conflavit. Imprimis Arianismo se se implicuit: cui de suo ejusmodi superaddidit: Episcopum Presbytero præstare nihil; unum esse ordinem utriusq;, munus idem, ac dignitatem eandem: *mortuorum commemorationes, atque suffragia supervacanea esse: nam (ajebat) ut vivus oret, ut sua in pauperes eroget, quid, ex ea re, tandem ad mortuum redit? Celebrare Pascha rem esse omninò judaicam, nequaquam à Christi cultoribus obeundam; nulla jejuniorum servandam esse legem, nam justo* (ita scripturis abutebatur) *nulla lex*

posita

posita est, sed parricidis dumtaxat, & id genus aliis. Hæc monſtra, præter Arii dogmata, effutiebat Aerius; e cujus cineribus, errorem illum de ſuffragiis mortuorum, excitaſſe videntur, cùm olim Photianorum plerique, tùm proximiùs Calviniani, ac Lutherani: quin ea etiam hæreſis, quæ ad Presbyteri cum Epiſcopo æqualitatem pertinet, atq; ad jejuniorum tollendam legem, plurimos, noſtrorum temporum, occidentales hæreticos, videtur corripuiſſe.

De Pſathyrianis, ac Dulianis.

77. Ex Arianorum grege, Pſathyriani pariter emerſerunt, eo nomine dicti ab ipſorum ſignifero, placentarum artifice. Horum verò hæc erat hæreſis, ac ſententia. *Pater Deus, ſemper etiam filius á Deo creatus: idem enim eſt in Deo creare, & gignere*: quâ circuitione verborum, illud videntur ſignificaſſe, Verbum ex non extantibus certè, ſed ex æternitate tamen fuiſſe productum; proindeque, creaturam quandam ab æterno, Filium Dei ſtatuebant.

78. Duliani, ab eo nomen ſibi derivarunt, quòd Filium δȣ́λον *ſervum* Patris pejerabant: quam inſaniam hoc ſe ſyllogiſmo conficere arbitrabantur: Omnis creatura ſervit Creatori: Patris verò creatura Filius: Filius igitur Patris ſervus: bona quidem conſecutio, niſi ex minoris poſitionis amentia deſcenderet. Verum Pſathyriani ad aliquod Semiarianorũ genus: Duliani autem, ad meros Arianos ſunt ablegandi.

De Apollinari, & Apollinariſtis, ſive Dimeritis.

79. APollinaris Alexandrinus patrem habuit ejuſdem nominis: adoleſcens bonis artibus excultus, plurimum in literis ac pietate profecit: provectior exinde factus, adeo cum ætate virtus, & fama crevit, ut Laodiceæ obtinuerit Epiſcopatum: tùm in. graveſcens annis, authoritate, ac maximorum virorum conſuetudine longè valuit; interque Nicænæ Fidei propugnatores, non ultimum locum tenuit. Illo ſanctiſſimi viri Athanaſius Magnus, Serapion Thmuis Epiſcopus, Baſilius, atq; alii plurimi, quàm familiariter

ter usi sunt: sed tamen, ut sunt hominum vicissitudines, ex optimo adolescente, viroq; claro & probo, in senem tandem delirum, pessimumque Hæresiarcam Apollinaris degeneravit. Itaque, ambitioso quodam contendendi studio abreptus, ac libidine sapiendi plusquam oportet, errores plurimos, primò concepit animo; deinde cæpit evomere: In Trinitatem cum Arianis visus est delirare: namque Spiritum Sanctum, nomine tenùs Deum appellans, omni Divinitate, re ipsa exuit; & gradus quosdam Deitatis excogitavit *magni, majoris, & maximi*, quasi magnus esset Spiritus Sanctus, major Filius, maximus Pater: (1) *quam Deitatis scalam, non ad Cælum efferentem, sed ab Cælo deferentem*, haud ineleganter Nazianzenus vocavit. Hęc cum Arianis delirabat Apollinaris: sed ad aliam præterea, longè diversam insaniendi viam, delirus senex deflexit: *Christi corpus, genitum à Maria Virgine, consubstantiale Divinitati esse: Verbum ipsum, in carnem, ossa, capillos, cæteraque membra conversum, in corpus denique abiisse: mentem humanam à Verbo minimè fuisse assumptam, mentis vices supplente*

(1) *Epist.* 1. *ad Cledon.*

supplente Divinitate. Tum error Chiliastarum, Epiphanio teste, Apollinario tribuitur; post corporum scilicet resurrectionem, his iisdem vitæ usibus, annorum Chiliadem esse homines consumpturos; in nuptiis versantes, commessationibus, cæterisque omnibus mortalis vitæ institutis.

80. Magnus Basilius ęgrè inducere animum potuit, ut hæc de Apollinario crederet; falsamque ratus, earum rerum vulgatam famam, eidem diu adhæsit; adeo ut ejusdem hæresis suspicione apud Pontificem Damasum, uti memorant, laboraverit: sed post quam perfidi amentisque senis deliria, & scelera satis habuit explorata, illum, apud eundem Damasum per literas detulit; enixis precibus ab eo Pontefice petens, ut quàm celerrimè posset, scelestum hominem, solemni judicio damnatum, majori fulmine percuteret; quò ea pestis à Romana Sede notata, ab omni Oriente, in posterum tempus, caveri posset. Apollinarium turba plurima sectariorum secuta est, quos Epiphanius Dimeritas, alii frequentiùs Apollinaristas appellare consuevere.

81. Ex

81. Ex hac verò Apollinariſtarum, ſive Dimeritarum damnata ſtirpe, Antidico-Marianitæ, & Collyridiani extiterunt. Illi Αἰπαρθένον Mariam, poſt editum Reparatorem, cum Joſepho cõſueviſſe pejerabant. Hi verò eandem Beatam Virginem, latriæ cultu, proſequebantur; ejuſdemque nomini, ſtatis anni diebus, ſacrificabant, & collyridem offerebant. Apollinarem, & illius gregem omnem Sanctus Damaſus in Concilio Romano, petenti Baſilio, ac preſente Petro Alexandrino Patriarcha, anathemate feriit.

Prima hæreſis ſemina contra Primatum Romanæ Sedis.

82. EX illa quoque Arianiſmi flãma, ſcintillæ quædam ejus hæreſis abſtiterunt, contra Primatum Romani Epiſcopi, quę noſtris hiſce temporibus, tanto ſtrepitu atq; damno, per immenſam animarum ſtragem in Oriente ſimul, & occidente graſſatur. Ejuſmodi verò ſcintillæ, ex illo Antiocheno conciliabulo primò eruperunt, quod Euſebiani anno 341. per ænceniorum occaſionem, inter ſe injerunt: ibi enim primò jiſdem perfidioſi homines ab obſequio

Ro-

Romanæ ſedis apertiſſimè diſceſſere: nam & citati à Julio Pontifice, ad cauſam Romæ dicendam, & judicio ſe ſiſtere noluerunt; & literas exinde ad eundem Julium ſcripſerunt inſolentiſſimas, quibus literis (uti ſuperiori capite indicavimus) auſi ſunt affirmare: *Epiſcopũ Romæ nil cæteris Epiſcopis præſtare*: Quibus vocibus, tunc quidem novis, & inſolentibus, nunc verò uſitatiſſimis in Oriente, Primatum Romani Epiſcopi ſatis apertè carpere viſi ſunt. Ita Arianorũ perfidia, nullam in Eccleſia authoritatem intactã inviolatamq; reliquit: nõ divinam, non Eccleſiaſticam, non Apoſtolicam, non Pontificiam; neque ſperandum erat, ut mitiùs aut modeſtiùs cum authoritate Romanæ ſedis agerent ji, qui nec increato quidem Dei Verbo pepercerũt. Hęc fuerunt prima damnoſi ejus hæreſis rudimenta: quemadmodum ad eandem hæreſim, ea videntur pertinuiſſe, quæ jidem Ariani, toto ferè conjurationis curſu, miſcuerunt: Arbitria de Epiſcopis facere; cauſas maximas Religionis expedire; novas fidei formulas cudere; Patriarchas, præcipuoſque Antiſtites ſedibus movere, intru-

trudere alios; ſacra omnia confundere agitare; inconſulta Romana Sede; vel in conciliabulis præter omnia *jura*, & antiqua Chriſtianorum inſtituta inter ſe initis; vel in Aula Imperatorum; vel in prophanis Præfectorum Judiciis, quaſi nec Deus fuiſſet in Cælo, nec in Terris Mater Eccleſia, nec Romæ Vicarius Chriſti.

83. Huic Arianorum erga Romanam Sedem inobedientiæ, primus ſe oppoſuit Athanaſius Magnus, exemplo præſertim & operâ, qui ſemper & in omnibus, ab arbitrio Romani Epiſcopi religiosè pependit: Tùm ipſemet Julius Papa, qui memoratis Euſebianorum literis reſcribens, ipſorum inſolentiam fortiter, & ſuaviter; uti tempora poſtulabant, caſtigavit. Mox Patres Sardicenſes, ejus Antiocheni Conciliabuli audaciſſima incæpta, tribus canonibus, ob eam rem editis, fregerunt. Baſilius quoque & Nazianzenus contra rebellem illam Arianorum impudentiam, omnia in Oriente, nutu Romanæ Sedis fieri voluerunt; ut inferiùs pluribus oſtendemus. Demùm ipſimet religioſiſſimi Principes Gratianus, atque

Theo-

Theodosius, potestatem Romani Episcopi, ab Arianis violatam, ab Costantio, & Valente ferè oppressam, pristinę dignitati restituerunt; sanctionibus editis decernentes; uti, ex vetusta Patrum regula, Episcoporum (1) causę ad Romanam Sedem revoluerentur. Ita primæ hujus hęresis scintillæ, à pessimis Orientalium motæ, ab optimis compressæ, antequam ignem conflarent, volente Deo extinctæ sunt. Utinam tunc extinctas, postea Photii ambitio non excitasset.

(1) *Nicephor. Callist.*

De aliis quibusdam eorum temporum hæresibus.

84. SEd præter ea, quæ hactenus memoravimus, Arianismi mala germina, aliæ plurimæ hæresum catervæ, corruptissimis illis temporibus, in Orientem irrepsere; & longè quidem plures, quàm quæ certo numero definiri aut comprehendi queant: namque ubi religio & pudor, atque in Matrem Ecclesiam, Romanamque sedem obedientia mentibus decessere; pro his verò effrenata de divinis rebus differendi opi-

opinandique licentia invasit; periitque omnis credendi regula; hæreses omnes, atq; omnia mala succedere necesse est. Itaque, Athanasio Magno teste, omnes eâ tempestate Ori entales Ecclesiæ, quassatę veluti naves, aut vascula quædam rimas undique agentia, superstitionem velut aquam bibebant: ut quot essent in Oriente urbes ac domus, totidem sectæ diversarum hæresum viderentur.

85. De Ancyra, quæ civitas est in Galatia, hæc Hieronymus, qui per illud tempus in Oriente degebat, scripta reliquit. *Scit mecum qui vidit Ancyram Metropolim Galatiæ, quot nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Barboritas, & Manichæos; nota enim jam hæc humanæ calamitatis vocabula sunt. Quis unquam Passalorincitas, & Ascodobros, & Artorytas, & cætera magis portenta, quam nomina, in aliqua parte Romani Orbis audivit.*

86. Sed quoniam in hęc tam barbara nomina incidimus inexplicata ea relinquere non debemus; cum eorum

expo-

expoſitionem, curioſi lectoris mota ſitis à nobis expectare videatur. Paſſalorincitæ ridiculum erãt hȩreticorum genus, quod ſummam Religionis in taciturnitate ponebat: Itaque ori, naribuſque impoſito digito, ſilebant perpetuò; deinde cætera omnia ſibi licere arbitrabantur: Aſcodrogitæ, ſivè Aſcodrobi Baccanaliis in Eccleſiã inductis, Ethnicorum mores inſtaurabant. Artorytæ in divino Chriſtianorum Sacrificio panem, & caſeum offerebant.

Ex his autem monſtris, quæ à Hieronymo, teſte vivo & præſente, de una Orientis urbe feruntur, conjiciat lector facile, quantâ hæreſum colluvione Orientalis Eccleſiæ pulchritudo, eo tempore, deformaretur.

De Marcello Ancyrano.

87. SEd Marcellum ejus Ancyræ Epiſcopum, de qua tot monſtra ſcribit Hieronymus, taciti preterire non poſſumus. Hic ante Athanaſium natus, eidem ſuperſtes diù vixit; & centenario major, ſub Damaſo Pontifice, obiit. Adfuit Concilio Nicæno Ma-

gno

gno, ibique adversus Arium, strenuissimam navavit operam: in Tyri Conciliabulo, ingenti animi fortitudine, Athanasii partes suscepit: librum edidit adversus Asterium Sophistam, qui pridem, Arianorum gratiâ, impia quædam de Christo scripserat. Earum rerum causâ, maximo illum in honore, boni omnes habebant; ejusque nomen summis laudibus efferebatur: Ariani contra, jisdem de causis, acerbissimo illum odio prosequebantur: in Conciliabulo Constantinopolitano, sub Magno Constantino, Sabellii, & Pauli Samosàteni hæresis insimulatus, Eusebianorum opera, Episcopatu privatus fuit: sed loco tamen, pristineque dignitati restitutus, tum à Julio Papa in Romano Concilio, tum à Patribus Synodi Sardicensis. A tempore Nycæni Concilii usque ad eandem Sardicensem Synodum, Athanasio Magno fidissimus semper adhæsit, socius perpetuus ejusdem fidei atque fortunæ. Namque Nicææ, Arianam perfidiam, cum Athanasio, conjuncta operâ, exagitavit: in Tyrio Conciliabulo cum Athanasio, & pro Athanasio stetit fotissimè: in con-

venticulo novæ Romæ, item cum Athanasio exagitatus, Eusebianorum opera, atq; damnatus fuit: exinde, cum Athanasio Romam profectus, cum eodem à Julio Papa est receptus, ac restitutus: Denique Athanasii comes, Sardicam venit, eoque in Concilio maximo uterque in honore habitus, uterque ritè judicatus, & absolutus, uterque inde restitutus discessit. Verùm post Sardicensis Concilii tempora, hæresis suspicione, maximè laborare cæpit, Marcelli fama; qua de re tam variæ, ambiguæq; atq; inter se contrariç, Sanctissimorum etiam Patrum, extiterunt opiniones, ut Marcelli fides, inter obscuriora historię veteris problemata, conjiciatur.

88. Quinque adversus illum, Eusebius Cæsaræensis edidit libros; quibus eundem, velut hæreticum apertissimum insectatur, ejusq; hæreses, ad quinque capita, confert potissimùm. Primum atque præcipuũ est, unde cætera sponte fluunt, Verbũ Dei unam esse cũ Patre Personã: II. sic assumptũ hominẽ fuisse, ut Ενεργεία μόνη πλατύνεσθαι *efficientia, & actione solâ dilatari* credendus sit Deus, sivè spiritus ille ac Πνεῦμα; quod esse tres

simul

ſimul Perſonas ajebat: III.poſt Reſurrectionem, qualemcumque Verbi cum carne conjunctionem, eſſe deſituram; Verbumque ipſum ad Patrem, carne depoſitâ, rediturum: unde perpetuum negabat fore Chriſti Regnum. IV. Ante aſſumptum hominem, negabat Verbum Dei fuiſſe filium; ſed tum eſſe factum Filium Dei, quando caro factum eſt. V. demùm Verbum ipſum Εἰκόνα-Θεοῦ, Imaginem Dei non eſſe, dicebat, ex ſeſe, ſed hoc illi, propter aſſumptam hominis naturam, competere: quibus erroribus tùm Sabellii, tùm Pauli Samoſateni videntur hæreſes contineri. Epiphanii de Marcello ſententia; incerta ſatis & ambigua videtur eſſe: ſed Magnus Baſilius eũdem pro hæretico, apertiſſimè habet; ab eoq; contrariam Ario hæreſim invectam fuiſſe affirmat, eumq; traditũ errorem: propria hypoſtaſi Verbum carere: illum propterea, ad Pontificem Damaſum cum Euſtathio Sebaſteno, & Apollinari, per Epiſtolam detulit. Dionyſius Petavius tom.2. Theolog.dogmat. lib. 1.cap.13. ſubtilius de Marcello, & accuratiſſimè diſputat: illum conſulat qui plenius, ea de re, inſtrui velit.

De Photino, sive Scotino.

(1) *Epiphan. hæres.* 51. *sive* 71 *Hieronym. de Script. Socrat. l.* 2. *c.* 14 *Athanas. de Synod.*

89. PHotinum Syrmio (1) Epiphanius memorat oriundum; Hieronymus, & Socrates natione Galatam fuisse malunt; patriâ verò Ancyranum eundem exhibent Eusebiani. Adoloscens Marcellum ipsum Ancyranum præceptorem habuit, à quo etiam, Diaconus ordinatus fuisse creditur: exinde SyrmiensemEpiscopatum, populo plaudente, obtinuit. Loquendi vi maximè valuit; ejusq; erat oratio, incredibilem in modum volubilis, & copiosa. Vitâ parùm probâ fuit; cujus mores corruptissimi (quod sæpiùs evenire solet) mentem hominis paulatim, fidemque corruperunt. Itaque sub annum 342. Julio Ecclesiam, Constantio, & Constante Imperium moderantibus, nefariam hæresim vulgare cæpit: cujus hæc summa erat: Trinitatem, Personarumque distinctionem omninò negabat; Sabellii perfidiam, aliis licet verborum coloribus personatam, producens in scenam, Christum Dominum exuebat Divinitate; neq; unquam extitisse unigenitũ Dei filium

filium,docebat,antequã in utero Virginis Christus cõciperetur:Ejusmodi Photini perfidia (1) Juliano Apostatæ maximè arrisit; ejusque rei causa, ubi ad idola defecit impius desertor, literas ad Photinum dedit, velut ad socium ejusdem professionis: ejusdemque pestiferam hæresim, ante Catholicum dogma posuit, *quod* (inquit) *novum Deum Galilæum, æternum fabulosè prædicat*. Photinus in Concilio quodam Mediolanensi, sub annum 347. primò damnatus est: mox in Syrmiensi prima catholica Synodo, sub annum 349. tùm in alio Semiarianorum Syrmiensi Conciliabulo, sub annum 351. ubi demum sede sua illum deposuerunt. (2) In Concilio quoque Sardicensi fuisse notatum Photinum, author est Epiphanius; quinimmò S. Sulpitii Severi (3) singularis opinio fuit, ante Concilium Sardicense, sententiam in Photinum fuisse latam; (4) utriusque scriptoris, minùs certam esse, ea de re sententiam, Godefridus Hermant existimat. Photinum scriptores quidam alio nomine scotinum appellant; & quorundam etiam opinio fuit, postremum hoc, illius primum ac

(1) *Apud Facundum lib.4 p.164.*

(2) *Epiphan. ibidem.*

(3) *Sulpic.Sever.l.2.hist.*

(4) *vit.Athanas. tom.1. l. 6.c.8. & lib. 5. cap.24. in fine.*

proprium fuiſſe nomen, quod tamen, per vanitatem, cum Photino ipſe ſibi commutaverit: utcumque ea ſe res habeat, homini certè ſceleſtiſſimo, *tenebricoſi* magis, quàm *illuminati* cognomentum ſedet. Photoni hæreſim, poſt duodena ſæcula, novi Photiniani è ſuis cineribus excitarunt; Duce Michaele Servetо Hiſpano, cujus de grege prodiere, Georgius Blandrata, Paulus Alciatus, Franciſcus David, Fauſtus Soncinus Senenſis; quibus, non longè ante noſtram ætatem, Joannes Crellius acceſſit: quorum inſania complures, in Polonia præſertim ac Tranſilvania, corripuit.

De Euchaitis, ſive Precatoribus.

90. SEd tanta, eo tempore, graſſantis perfidiæ vis, & libido fuit, ut in remotiſſimmas quoq; pervadens ſolitudines, & Monachorum cellulas perrumpens, ſegregatum illud ſepoſitumq; hominum genus, innumeris nefariiſque hæreſibus, miſerandum in modum, depravaret. Sed earum dumtaxat unam commemoro, quam in Meſopotamiæ deſer-

deserta Dadoes, Sabbas, Adelphius, Simeon, atque Hermas pseudomonachi invexerunt; & quæ Massilianorum, vel Euchaitarum, sive Precatorum vocari consuevit; cujus hæresis impurissimæ, ratio erat ejusmodi: Abutẽtes in primis eo Christi effato *semper orandum*, in precibus, ejus generis heretici, toti esse videbantur: tùm addebant, homines, neglectis præceptis omnibus, tùm quæ à Deo, & natura, tùm quæ ab Ecclesia proficiscuntur, sola oratione contentos esse debere: eâ Christianos perfectissimos, atque, ut ajebant, *impassibiles* fieri. Qua deinde sententiâ depravati, ita se àd omnia scelera effundebant, ut inter orandum (quod horret animus memorare) viri mulieribus commiscerentur. Præter hæc, errores illis erant alii plurimi, quibus àuditis, risum simul ac dolorem excitari necesse est: Baptismum nihil suscipientibus prodesse, quòd, novaculæ instar, peccata solum radat, non avellat ab stirpe. Hominum quilibet cùm nascitur, malo Dæmone obsideri ad omnia nefaria incitante, eumque solâ oratione, ab anima moveri posse: cum autem pellitur, egredi eum ajebant, pe-

mucum & ſputi excrementa. Cùm ad orationem accederent, orantes ſomnus occupabat, ac maximam diei partem dormiebant: excitati exinde, prędicabant in obſtupeſcendis viſionibus ſe fuiſſe verſatos. Pręterea, videre ſe jactabant, corporeis oculis Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum: hujus illapſum ſenſibus perſentiſcere. Ad hæc, futurorum prænotiones paſsim effutiebant: exiliebant repentè in ſaltus, quaſi tunc malum calcarent dæmonem: digitis ſagittantium ſpeciem præſeferebant, velut in Dæmones jacularentur: atque id genus plurima faciebant, furoribus quibuſdam conciti; unde nomen quoque Enthuſiaſtarum obtinuere. Adverſus eorum inſaniam ſcripſiſſe fertur Epiſtolas, Letojus Melitines Epiſcopus; longè verò accuratiùs eandem ſcriptis exagitavit S. Amphilochius Epiſcopus Iconienſis, qui etiam Concilio præfuit Sydæ, contra ejus generis hęreticos, cōgregato.

91. Ejuſmodi verò fædiſsima hæreſis, ultimam ad quoddam Ethnicorum genus referebat originem; qui ędiculas, ad inſtar carinarum, faſtigiatas ſibi

bi construere consueverant, quas προσευχὰς vocitabant; ubi mares ac fæminæ promiscuè convenientes, quædam absurda, alia ridicula, plura nefanda faciebant: incipientes à precibus, ac desinentes in scelera. Ab idolorum cultoribus in Judęos posteà, ea pestis manavit: à Judæis in Christianos: exinde in Eremos; per eos, quos diximus, falsos Monachos: ac demùm, quod maximè nobis dolendum est, post tantam sæculorum intercapedinem, eadem ferè, in ætatem hanc nostram, vel simillima pestis irrepsit; rursus ab inferis excitata, per sacrilegos Molinosistas.

De Schismatibus ejusdem temporis, *Ac primo de Schismate Meletiano.*

92. SEd præter infinitam errorum colluvionem, schismata quoque non una eo tempore in Oriente dominabantur; sed horum aliqua tantùm commemoro. Primùm atq; famosum magis, schisma Meletii fuit: hic Lycopolis in Ægypto Episcopus nil quidem secùs de Fide sentiebat; verùm ut erat ingenio superbus ac factiosus, se

Baron. Hermant. Athanas. Apolog. 2. Socrat. l. 1. c. 3. Theodoret. l. 1 c. 8. ac de hæret. Fab. c. 7. Epiphan. hæres. 69.

se ac secum aliquot Pentapolis provincias Alexandrinæ sedis (*) obedientiæ subduxit: potestatemq; Patriarcharum per arrogantiam sibi sumens, Episcopos passim, ac Presbyteros ordinabat. Hunc factiosorum grex plurimus sequebatur; de quo grege Arius ipse quondam fuisse fertur; sed postea, mutatis vicibus, Meletii factio ad Arianam longè valentiorem accessit, simili quadam rivulorum sorte, qui dum se se in majora flumina infundunt, suo amisso, alieno cursu feruntur, atque alieno nomine fluunt: nam post illam commistionem, obliterato Meletii nomine, in Arianos Meletiani penitùs abierunt: Eam factionem, Nicæna Synodus primum dissolvit; sed penitùs non delevit; namque postea, ad instar seminecis serpentis, & colla iterum tollere veneno tumentia; & spiras caudâ voluere visa est. Ejus quoque factionis causâ Nicæni Patres notissimum sextum canonem edidere; quo Alexandrinæ Sedi, integra firmatur jurisdictio, quam Meletius per arrogantiam violaverat.

(*) *Anno 306 Theodoret. lib. 1. cap. 8. Godefroy Vit. Athanas. lib. 1. cap. 7.*

De

De Multiplici schismate Alexandrino.

93. PEr eadem ferè tempora, Alexãdria ipsa, quatuor aliis schismatibus, distrahebatur. Ea in urbe Ecclesiæ tunc erant plurimæ: Harum unam *Collutbus*; *Carponas* aliam; suam *Sarmata*; *Arius* quoque suam administrabant. Cùm autem singuli, commissum sibi populum per statos, & solemnes conventus publicè docerent, dissentiones in vulgus sparserunt: Itaque alii ad Arium adhærebãt; alii ad Colluthum, alii Carponæ, alii Sarmatæ partes tuebantur: Ita Alexandrina Civitas, quatuor veluti equis, in diversa furentibus, discerpta est, & quadripartito schismate dilacerata. De Ario satis diximus; De Carpone & Sarmatâ nil certi, apud Scriptores, quos legerim, deprehendi, nisi quod Ario se adjunxerint. (1) Colluthus Arii æmulatione, atque ambitionis flamma perustus, novæ sectæ author, & presbyter tantum cum esset, Episcopus videri voluit: itaque & suam hæresim in vulgus sparsit, ac plures clericos,

(1) *Epiphan. hæres. 69.*

ricos, presbyterosque, velut authoritate pollens, ordinavit. Ejus verò hæc fuit hæresis: *mala, quibus ærumnosa mortalium vita premitur, à Deo nullo modo proficisci*: an autem cum Manichæis, alterum à Deo, malorũ principium, apud animum suum statuisset, satis exploratum non habeo. Ea secta nec viribus, nec fama valuit. Osius in Alexandrina Synodo illam oppressit, & paulò post penitùs evanuit; adeout ea, quæ nos agitamus tempora, vix attigerit.

De Schismate Audianorum.


94. POst hæc, Audianorum schisma consecutum est: mirabile quidem illud, &, si Epiphanio credendum est, bonis initiis atque optimo parente natum. Ejus Authorem Epiphanius Αὐδίου Audiũ ex Mesopotamia; Theodoretus Αὐδαῖον Audæum à Syria trans Euphratem oriundum appellant. Fuit hic domi clarus vitæ integritate, atque ardore studioque severitatis: si quid minùs rectè in Ecclesiis fieret, liberrima indignatione sic castigabat, ut nec Presbyteris, nec Episcopis parceret.

Cle-

Clericos, presertim fœneratores & mulierum contubernales asperrimè exagitabat: sed ipse vicissim, suique studii participes exagitabantur; multos enim, eâ causa, mortales adversos habebant. Demùm eò res processit, ut cum nec alios ferre amplius, nec ipse ab aliis ferri posset, ab Ecclesiæ societate secesserit, schisma divortiumque conflaverit. Ita ipse, suique sectatores, in Monasteriis, quæ plurima in solitudinibus aliisque locis habebant, ab omni Christianorum cætu segregati, asperrimum vitæ genus ducebant; ac tandem ipse Audius, Episcopum quendam ex ingenio suo nactus, & ipsum reliquorum Christianorum commercia vitantem, ab eo Episcopus ordinari voluit. Epiphanius qui mitiùs cum Audio, & Audianis videtur agere, auctor est, eorum in omnibus sinceram fuisse fidem; verum ex jis, quæ cùm ipsemet sanctus Doctor, tùm etiam Theodoretus de Audæo, & Audianis scripserunt, apertè satis deprehendimus, id genus homines, non una tantum in hæresi fuisse versatos. Namque Deo, formam, omniaque humani corporis membra tribuebant;

bant; ad hanc intelligentiam malè referentes illum Genesis locum: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: tenebras quoq; & ignem, & aquam ingenita esse arbitrabantur: tùm Quartadecimanis consentiebant, Pascha cum Judæis quartadecima Luna celebrantes. Ad hæc, adeo societatem Ecclesiæ abominabantur, ut ne *Christianorum* nomen retinere voluerint, sed pro Christianis, Audianos se potiùs dicerent.

Audius, quòd populos seduceret, in Scythiam exulavit; eo in exilio, ex Gothis plures Christi fide imbuit; in Gothia Monasteria construxit plura. Episcopos sibi aliquot adjunxerat; sed in primis Uranium in Mesopotamia, qui postea, Audio defuncto, Audianorum ducebat agmen; postquam verò Uranius è vivis excessit, factio tota, lento quodam mortis genere, brevi excessit, & quadraginta ferè annorum spatio extincta est.



De

De Schismate Catholicorum Antiochensium; ac de Meletio & Paulino, ubi prima rudimenta schismatis Orientalis indicantur.

95. SChisma Catholicorum Antiochensium, omnium fere molestissimum fuit, ac maximè diuturnum: quinque & octoginta duravit annos: namque ab anno 530. sub Silvestro & Constantino cępisse fertur, nec nisi post annum 408. sub Innocētio P. Honorio, ac Theodosio juniore imperantibus, desiisse. Ea verò dissensio Catholicos Antiochenos primò distraxit: mox etiam maximorum virorum sentētias divisit, per Asiam, Africam, & Europam: deniq; inter Orientem & Occidentem periculosissimę contentionis flammam injecit. Sic autem, ut accepimus, se habuit ea res. Anno 330. cùm, Eustathio magno sanctissimoque Antiochiæ Patriarchâ in exilium pulso, Episcopi Eusebiani eam sedem invasissent, Catholici Antiochenses in duas partes abjerūt: namq; alii cum eisdem Eusebianis Episcopis communicabant: alii verò, qui Eustathiani

thiani vocari consuevere, umbram ipsā Arianismi angue pejus vitantes, seorsum vitam agebant: eaque ratione civilis quoddam schismatis genus, Catholicos Antiochenses, annos triginta, divisos inter se habuit.

Anno deinde 361. cùm Eudoxus, notissima fama Arianus, in Constantinopolitanam Sedem ex Antiochena gradum fecisset, S. Meletius vir memorabilis, quem hæretici à se fore sperabant, ipsiusmet Eudoxi aliorumq; Arianorum opera, Antiochiæ Episcopatum obtinuit: tunc pars altera Catholicorum, Meletii societatem effusissimo studio secuta est: Eusthatiani verò, rigidum Catholicorum genus, eidem sese adjungere noluerunt; tùm quod Episcopatum, Arianorum suffragio, Meletius obtinuisset; tùm quòd ejusdem Meletii fama, Semiarianismi suspicione, laborabat. Exinde Antiochia in tres veluti factiones divisa est; prima & valentior erat Eusebianorum; hæc Meletium vix sedi admotum exulare jussit, quod Catholicum, & longe alium se, quàm futurum impii speraverant, exhibuisset; & Euzojo Arianorum pessimo Antio-

chenum

chenum detulit Episcopatum: eademque, omnes ejus urbis Ecclesias, præter unam quandam ædiculam, quam Eustathianis permiserat, occupabat: Alia factio eorum Catholicorum erat, qui Meletii communionem sequebantur, eidemque, licet exuli, maxima animorum conjunctione adhærebant: hæc verò factio extra Urbem conveniebat, in quadam Apostolorum Ecclesia, quæ παλαιὰ, *antiqua* vocabatur: Tertia, numero omnium minor, factio erat Eustathianorum, qui seorsùm tùm ab Eusebianis, tùm à Catholicis Meletianarum partium, in ea, quam diximus, ædicula intra urbis menia, sacra inter se peragebant.

96. Dum his discordiis arderet Antiochena Civitas, Lucifer Calaritanus Liberii Pontificis legatus (qui tunc forte adhuc in Oriente, ubi Constantii jussu cum Eusebio Vercellensi exulaverat, versabatur) ut eas turbas componeret, minus ratam habens Meletii electioné, & Legati Apostolici authoritate usus, Antiochiæ ordinavit Episcopum Paulinum quendam, Eustathianorum facilè principem, virum sanè integerrimũ ma-

gnaque virtute præditum, cui nullus unquam Arianiſmi pulvis adhæſerat, futurum ſperans, ut in illius novi Epiſcopi communionem, utraque pars Antiochenſium Catholicorum coiret. Verùm ea Paulini repentina, & ſanè præmatura ordinatio, civile illud Catholicorum ſchiſma pejus exacerbavit: namque pars altera, Paulini electionem ferens aſperrimè, nunquam à Meletio, divelli potuit: Euſtathiani contra, Paulino ſatis contenti & Epiſcopum nacti ex ingenio, obfirmati magis, in ſua ſententia perſtiterunt. Itaque geminus exinde grex catholicorum, ſub ſuo quiſque paſtore, cæpit eſſe in unica Civitate: eorumque catholicorum, alii ſub Meletio in Palea extra Urbem, alii ſub Paulino in ædicula intra mænia, divina obibant officia, ſine ullo inter ſe religioſæ ſocietatis commercio, fide conjuncti, pace diviſi.

97. Tùm, hoc fonte derivata, latius ea diſcordia fluxit in Aſiam, Africam, & Europam. Nam Athanaſius cum omni Ægypto, item Epiphanius, Hieronymus, (qui tunc in Oriente degebat) & quod caput eſt, Romanus ipſe Pontifex

Pau-

Paulinum tuebantur: reliqui verò Oriētales omnes Meletii partes susceperant: in primis vero Eusebius Samosatenus vir sanctissimus; atque ipse Basilius Magnus, quem ea causa, uti ferunt, sanctus Damasus Romanus Pontifex aspere habuit. Harum partium, sæpius sine successu, tentatam fuisse concordiā memorant: sed tandem, sunt qui putant, inter Meletium & Paulinum sic convenisse: suum quisque gregem ea conditione regeret, ut qui eorum, altero defuncto, superstes foret, ad illum unum Antiocheni Episcopatus summa rediret; atq; sub eo tandem Episcopo, utraque pars Antiochensium Catholicorum copularetur: atque conventionem ejusmodi, tùm Antiocheni Concilii, tùm ipsius Romani Episcopi suffragio, fuisse firmatam. Atque ita quidem usque ad Concilium Constantinopolitanum generale secundum, ad annum videlicet 381. res illæ se habuerunt.

98. Exindè verò, Meletio in regia Constantini urbe, eodem Concilij tempore vitâ defuncto, ea flama Antiochenæ dissentionis periculosius incendium conflare cœpit. Namque in

ea Synodo, cum deliberatio instituta, foret, ne alius quispiam Meletij loco crearetur Episcopus Antiochiæ; Sed potius (uti pridem convenerat) ad Paulinum superstitem, Ecclesiæ Antiochenæ summa omnis revolveretur; eaque ratione, Catholici omnes Antiocheni tùm partium Meletianarum, tùm Eustatiani, sub uno tantum Episcopo, extincto demùm Schismate, copularentur; turbulenti quidam Orientales, ea pacis cousilia turbare cœperunt. Rem ita Gregorius Nazianzenus exequitur.

Gregorius Naziãzen. carm. de vita sua.

De non movenda re statim cœptum est agi
Quam turbulenti scilicet urgebant viri:
Hoc molientes improbi, ut tunc unico
Opponeretur Præsuli, Præsul novus.

Gregorius quidem ipse, qui tunc novæ Romæ Episcopatum obtinebat, cum neq; partium studio, neq; inani æmulatione, ipsius animus laboraret, sed ad res, æqua lance suisque momentis judicandas, integrâ liberâque mente uteretur, pro Paulino sententiam in frequenti Concilio dixit.

Thronum retineat, qui tenuit ad hunc diem.

Nempè

Nempe Paulinus; hoc justitiæ, hoc pauci, hoc Romanæ Sedis authoritati deberi; sic futurum, ut diuturnum illud Antiochenæ dissentionis malum opprimatur. Sed ea Gregorij, gravissima quidem, sententia Orientalibus adeò displicuit, ut incredibilis inde, in Præsulem sanctissimum invidia, & livor exarserit: sic enim idem subdit:

Hæc conciones comprobant nostræ licet Saxis petitæ: livor undè in me improbus exarsit. Idem ibid.

Namq; Orientales, æquis oculis videre non poterant, in Antiocheno Throno sedentem, hominem ab Occidentalibus ordinatum; quòd ea re, Orientis dignitati plurimum detrahi atbitrarentur: quare juniores primùm Episcopi orientales, vesparum more insilientes tumultuari cœperunt, atque asperiùs dicta cùm in Paulinum jacere, tùm in romanam sedem (cujus authoritas Paulinum eo in gradu, & olim posuerat, & tunc adhuc retinebat) in Gregorium etiam ipsum, atque in omnes denique, qui cũ Gregorio Paulini partes tuerẽtur: mox seniores ipsi junioribus illis quos frenare debuissent, sese per sum-

mam animi levitatem addiderunt; unâque simul, insolentissima conspiratione contendebant, uti nouus Episcopus, orientalium suffragio renunciatus, Meletij loco substitueretur: quem Orientalium tumultum his versibus Gregorius idem depinxit.

Idem ibid.

Clamitant illi undique,
Ut Graculorũ turba, rem unam moliens
Juvenum caterva (quã tabernã diceres)
Trahensq; turbo pulverem venti æmuli:
Dignatus esset cum quibus nemo, metu
Sãcto, thronoq; præditus, quicquam loqui,
Præpostere, ut qui funderent verba, &
velut
Vespę insilirent concito in frontem impetu.
At hos secutus est tamen cœtus senum
Motus juventæ fervidos, quos par erat
Frenare.

In quam sententiam sanè tumultuosã concitata illa orientalium Episcoporũ multitudo, non tam consilio & ratione, quàm malo in Occidentales ingenio ac æmulatione, ferebatur: nam cur non Paulinus ab Occidentalibus ordinatus, sed alius ab Orientalibus ordinandus Meletio substituendus foret, causã ejusmodi prætendebant: quod Orientales nihil

Occi-

Occidentalibus deberent concedere: quodque Oriens, ubi Christus ipse fuisset in carne versatus, ante Occidentem esset ponendus: quam furiosæ multituditis superbam opinionem, sic Gregorius idem Nazianzenus deridet.

Ratio porro quàm scita, aspice:
Debere nostras nempe res solem sequi,
Ortum hinc trahentes, unde Regnator poli
Nobis, amictus carne primum splenduit,

Et paulò post eidem alludens ambitioni.

Adversa stabat his, tumens Phœbo phalanx.

At contra hunc Orientalium torrentem, prudentiores quidam, omnesq; ex Macedonia, & Ægypto Episcopi brachia fortissimè direxerunt, in primis verò Nazianzenus Gregorius, certus Episcopatu prius cedere, quam alterius Episcopi electioni sese addere suffragatorem.

At mihi (inquit ille) *carentem vos throno concedite* *Idem ibid.*
Vitam, periclo liberam, & si in gloriam.
Illic sedebo, nulla ubi sedes malis.
Hoc namque præstat, cæteris, quàm utmiscear;

Meamque nec eos flectere in sententiam Possim, nec illos rebus in pravis sequi, &c.

Verùm Orientalium pars, suffragiorum numero longè valentior, nulla Paulini habitâ ratione Flavianum renuntiavit Antiochenæ Urbis Episcopum, qui Meletii loco succederet. Tunc Gregorius, ne sceleri suffragaretur, spōte cessit Episcopatu, ac se se in solitudinem contulit. Damasus Papa ea in re, potestate sua uti noluit; ne forte schisma, quod jam in promptu esse videbatur, Orientem penitus ab Occidente divideret. Dissensio Antiochena longius producta est; ut unius Ecclesiæ, Catholico populo, geminus præesset Episcopus, Paulinus videlicet, ac Flavianus: quin etiam post hos vita defunctos, in duobus aliis, ejusdem Antiochenæ Urbis simul Episcopis, schisma perseveravit; nec nisi post annum quadringentesimum octavum, Innocentii Pontificis opera, ea flamma extingui potuit.

99. Per illam sanè occasionem, adversum Orientalium, erga Occidētales ingenium, maximè apparuit; jamque illo ex tempore, æmulationis flamma teterrima, Constantinopoli palam erumpens

pens,incendio, quod adhuc ardet,cępit proludere : jamque inde, Nazianzenus Theologus, pessima schismata inter Orientem, & Occidentem secutura conjecit; tunc siquidem vir sapientissimus, Oriẽtalium ingenium animo æstimans, ea memoranda verba pronuntiavit: *futurum scilicet,ut Oriens olim atque Occidens sententiis non minus, quàm finibus distraherentur*. Quamobrem non ex nihilo arbitrati sumus, eas Meletii, & Paulini causâ,inter Orientales,& Occidentales, exortas contentiones, semina quædam ac veluti rudimenta fuisse ejus schismatis sanè lacrimabilis, ac veluti sempiterni, quod Orientem ab Occidẽte posteà distraxit,nõ charitatis tantùm,sed etiam fidei,ac religionis divortio. Divortium acerbissimum,ac luctuosum! divortium perpetuis lachrimarum fontibus dolendum!quod nobilissimam Ecclesiæ partem, e sinu Matris avulsam, in tantam salutis desperationem conjecit: dissidium implacabile, quod nulla ætas,nulla ratio, nulla opera, & industria potuit satis componere.

100. Omnes autem, quas diximus,hęreses,eo temporis intervallo, quod medium

dium, inter Nicęnum Concilium, & Cōstantinopolitanum interjacet, ortum simul, & interitum habuerunt: nec nisi earum intermortuæ quædam reliquiæ post illud tempus, superfuere. Sed non omnes evaserunt eadem via. Pars evanuerunt repente; aliæ paulatim consenescere visæ sunt. Plures in Conciliis, præsertim Nicæno, & Sardicēsi æcumænicis, notatæ, ac demùm ferè omnes, repetitis Romanæ Sedis fulminibus, percussæ sunt. In cujus rei fidem juvat exhibere credendorum regulam, quam Damasus Papa miserat in Orientem: in qua lector videre poterit Romanum Episcopum eas ferè omnes Orientales hæreses fulminantem: est autem illa ejusmodi. (1) *Anathematizamus eos, qui non liberrimè prædicant, Spiritum Sanctum unius ejusdemque cum Patre, & Filio substantiæ, ac potestatis existere. Similiter autem anathematizamus eos, qui Sabellii errorem sequuntur, & eumdem esse dicunt Patrem, & Filium. Anathematizamus Arium, & Eunomium, qui pari impietate, licet verbis discrepent, Filium, & Spiritum Sanctum creaturam esse confirmant. Anathematizamus*

(1) *Apud Theodoret. Ecclesf. hist. lib. 7. cap. XI.*

mus

mus Macedonianos, qui ex Arii radice propagati, non impietatem, sed nomen solùm mutarunt. Anathematizamus Photinum, qui Ebionis hæresim renovans, dominum nostrum Jesum Christum solùm ex Maria confitebatur. Anathematizamus etiam eos, qui duos filios esse affirmant, unum ante sæcula, & alium post carnis assumptionem ex Maria. Anathematizamus & illos qui asseverant, pro rationali anima, Dei Verbum in humana carne versatum esse: Ipsum enim Dei Verbum, non loco rationalis, & intelligentis animæ, in corpore suo fuit, sed nostram, hoc est rationalem, & intellectualem, sine peccato, animam assumpsit, & conservavit. Anathematizamus eos, qui dicunt Verbum Dei productione, & contractione à Patre separatum esse, idemque sine subsistentia esse, interiturumque blasphemant. Eos autem, qui ab Ecclesiis, ad alias Ecclesias migraverunt, tandiù á nostra communione alienos habemus, donec ad eas redeant civitates, in quibus primùm ordinati sunt. Quodsi quis, alio ad aliam sedem translato, in locum viventis fuerit ordinatus, tamdiù à Sacerdotali dignitate vacet is, qui propriam deseruit Civita-

vitatem, donec successor ejus requiescat in Domino. Si quis non dixerit semper Patrem, & semper Filium, & semper esse Spiritum Sanctum, anathema sit. Si quis non dixerit Filium natum ex Patre, hoc est ex Divina ejus substantia, anathema sit. Si quis non dixerit, verum Deum Filium Dei, sicut verum Deum Patrem ejus, & omnia nosse, & omnia posse, & Patri æqualem esse, anathema sit. Si quis dixerit, quod in carne degens Filius Dei, cum erat in Terra, in Cælis, & cum Patre non fuerit, anathema sit.

Ac de illius temporis hæresibus, & Schismatibus pro instituto brevitatis nostræ satis superque diximus. Qui plura de his voluerit, Epiphanium adeat, Theodoretum, Augustinum, de hæresibus ex instituto disputantes: Baronium quoq; Ecclesiasticæ historiæ parentem atque Magistrum: ex neotericis verò, consulat Dominicum Berninum, qui omnium hæresum historiam absolutissimam, vernaculo sermone conscriptam partim nuper edidit; partim propediem uti confidimus, est editurus; qua in historia sanè uberi, & copiosa, earum rerum sitim, cupidus lector explere poterit.

CAPUT



CAPUT TERTIUM.

De malis, quibus eo tempore premebatur Orientalis Eccleſia, ac de ejuſdem facie lacrimabili.



RIENTALEM Eccleſiam, tempeſtate illa, luctuoſiſſimum Religionis divortium inter *Catholicos*, & *hæreticos* velut ex æquo diviſerat. Utraque verò pars, ſivè melior Catholicorum; ſivè hæreticorum deterrima, in immẽſa malorum Iliade verſabatur: ut eorum temporum imago ſubire minimè poſſit, quin, eo aſpectu turbatus animus, omnibus mæroribus incedat. Sed alios aliud malorum genus invaſerat: Hæretici vi-

tiis

tiis; Catholici ærumnis premebantur: horum corpus, & fortunæ; illorum mens,& animus laborabant. Utrorumq; verò malorum conspiratione, Orientalis Ecclesiæ facies omnis,miserrima, & lacrimabilis fuit.

De vitiis Hæreticorum.

102. A Vitiis Hęreticorum incipio; nam ærumnæ Sanctorum, proscriptiones, exilia, cædes, atque id genus alia, imbutis Evangelio animis, vix malorum loco esse debent: Vitia mentis, animiq; verè mala sunt. Princeps malum hæreticorum hæresis fuit; quæ Orientalium mentes miserum in modum animosque corruperat. Id malum quàm numerosum,& multiplex eo tempore extiterit, quantâque ruinâ per Orientem omnem excurrerit, satis superque dictum puto; nec ultra ea res properantem calamum morari debet. Ab hæresi deinde,aliæ innumeræ fluxere scelerum multitudines; nam & si omnis hæresis à vitio manare soleat, omnia quoque vitia ab hæresi descendere necesse est;eaque,inter has pestes,intercedit

cedit viciſſitudo, ut perfidia mater ſceleris, & ſimul filia: ſcelus contra, perfidiæ germen ſimul, & robur eſſe videatur. Itaque ſuperſtitio, Ariana præſertim, fuſa per Orientem, ubique fidem, probitatem, Juſtitiam, modeſtiam, cæteraſque bonas artes, atque divinas chriſtianorum virtutes ſubvertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, ambitionem: Deum negligere, Eccleſiam contemnere, jura, & ſacra omnia violare, humana, atque divina peſſum habere docuit. Morum, & fidei ſanctitas omnis, exulabat, miſeris cum catholicis: eorũque fida comes, aut per ſolitudines errabat profuga; aut in privatis domibus, & ſpeluncis deliteſcebat afflicta. In urbibus verò, & frequentiâ, cum ipſis hæreticis ſuperſtitio, & omnis quem diximus, ſcelerum, vitiorumque comitatus ita dominabantur, præſertim Conſtantio, Juliano, atque Valente imperantibus, ut in tanta morum corruptela vix ullum antiquæ pietatis, & ſinceræ religionis veſtigium reliquum appareret. Eccleſiæ ſine cultu, ſine altaribus, ſine incenſo, ſine Sacerdotibus, ſpeluncæ latronum evaſerant; ceſſaverant ſalutares

res

res doctrinæ, vox illa Diaconorum (1) σοφία ὀρθὴ perierat; nam pro Evangeliis, scelerata dogmata spargebantur: pro Davidicis psalmis, prophanissimæ cantiones. Verbum Dei scriptum, inter manus litigantium hæreticorum, discerpebatur: Traditum jacebat sub pedibus: Nicæna magna Synodus, augustissimus Sanctorum conventus, per omnem angulum, maledictis apertissimè impetebatur. Statutam ibi fidem, quam & pronus terrarum orbis adorat, & ipsæ Angelorum mentes reverentur, in suis Conciliabulis Hæretici, ausu nefario, anathemate percutiebant. Alia item in Spiritu Sancto congregata Concilia, aut contemptui habita, aut hostiliter oppugnata. Romanæ quoque Sedis authoritas, primò quidem ab jisdem formidata, mox neglecta, violata tandem fuit: fidei regula apud eosdem nulla: pro norma credendi, ambitionem: pro Ecclesiæ Tribunali, aulam; pro arbitris Religionis, Eunuchos habebant. Ea dogmatizandi licentiâ, & libidine utebantur, quâ majorem, ne Spinoza quidem optasset. Ad hæc, insidias moliri, dolos nectere, movere in sectationes

(1) *Sapientia recta.*

nes

nes, Sanctorum sanguinem anhelare, consueta eorum occupatio erat, & negotium quotidianum: baptismate tincti, Ethnicorum crudelitatem in baptizatos æmulabantur; rebelles Ecclesiæ filii, vim, arma, bellum in Matris viscera convertebant.

Sed amplissimæ quæque Orientis Ecclesiæ, Patriarchales præsertim (quod in deteriori malorum parte ponendum reor) scelestissimorum hæresiarcarum direptioni, lacerandæ, quàm regendæ tradebantur. Ita, pulso Athanasio, in Alexandrinam sedem tres feræ bestiæ ordine irruerunt: Primò Gregorius, deindè Georgius, postea verò Lucius: quorum, Gregorius, & Lucius, sub mentita Christianorum persona, omnis Religionis expertes fuisse perhibentur: medius verò inter hos Georgius, homo erat de plebe; impius, effrons, inurbanus, illiteratus, reus furti, & ob eam causam profugus: & tamen hic ex profugo, illi ex semiatheistis, Episcopi, imo etiam Patriarchæ repentè facti sunt; eo solùm nomine, quòd ad Catholicos, omni genere crudelitatis, exagitãdos idonei præ cæteris haberentur. In Antio-

chenam quoque ſedem,quam ipſe Princeps Apoſtolorum fundaverat, vi & malis artibus irruperunt, primò Leontius ſemi vir, quem Theodoretus, doloſis latentibuſque maris ſcopulis, comparuit: mox Eudoxus ſectarius famoſiſſimus de mero Arianiſmo, qui nomen fecit Eudoxianis; deinde Euzojus ejuſdem furfuris Arianus. Conſtantinopolitanam pariter Eccleſiam invaſere Euſebius Nicomedienſis Arianæ perfidię altor, & propagator; tùm Macedonius Pneumatomachorum hæreſiarca; poſteà idem, quem nuper diximus, Eudoxus. Tum in Eccleſiam Hieroſolimitanam, atque in alias toto Oriente celebriores alii paſsim adulteri Eterodoxi, exploratores, ſatellites, carnifices, infundebantur: quorum omnium ea erat cura & conſpiratio, ut genus omne Catholicorum extinguerent; ut qui plus de baptizato ſanguine bibiſſet, is demùm melius ſuas partes impleviſſe videretur. Quò autem loci, hi nefarii rem Chriſtianorum adduxerint, referre pudet, ac piget meminiſſe: illud profero pudore ſuffuſus, ac totus veluti contremiſcens, quod ab jis monumentis accepimus

pimus, quæ Petrus ipse Alexandriæ Episcopus, de Clade ejus urbis posteritati reliquit; cujus hæc sunt verba: Nam „ quæ neque facta sunt, (uti scriptum „ est) neque audita in diebus Patrum „ nostrorum, hæc impii in ipso altari „ designarunt: etenim, velut in prosce- „ nio, in quo turpis aliqua ageretur fa- „ bula, puerum masculum, qui sexum „ denegaverat virilem, & muliebrem „ sibi effinxerat, quique tum oculos „ habebat (ut scriptis proditum est, „ *nempe de Jezabel*) stibio oblitos, & „ vultum, simulacrorum more, fuco ru- „ bentem, habitu muliebri, in ipso San- „ cto altari, ubi de Spiritus Sancti de- „ scensu invocari solet, corpore in or- „ bem acto, & manibus huc illucque „ cum gestis jactatis, saltare compule- „ runt; atque in risum immoderatum „ effusi, nefarias voces ore extulerunt. „ Rursus, cùm istud quoque ad rectum „ ordinem spectare, & præterita faci- „ nora decora potiùs, quàm nefaria „ existimarent, unum ex suis, turpitudi- „ ne insigniter nobilitatum, & ut pudo- „ re ita vestibus, sicut natus erat, nu- „ datum, in summo Ecclesiæ solio col-

„ locant, turpemque contra Christum
„ concionatorem appellant: nam pro
„ verbis divinis, turpitudinem; pro
„ gravi oratione, petulantiam; pro pie-
„ tate, pro continentia, stuprum,
„ adulterium, concubitum cum mascu-
„ lis prædicavit: docuitque, tùm alia,
„ tùm furtum, cibum, & potionem, vi-
„ tæ hominum utilia esse. His doctrinis populorum informabat mores, mirificum illud Episcoporum, ac Patriarcharum genus: ad ejusmodi pascua deducebat Christi greges, nova illa pastorum progenies. Hi erant Christianorum conventus, hic templorum cultus, ea Sacra, ea Mysteria. Ex quibus coniiciat quisque, qui tunc esset rerum status in Oriente, & quàm misera facies Religionis. Et quamvis, quæ nuper ex Petro Alexandrino retulimus, de Alexandria urbe referantur; similia tamen ubique fieri, veteribus memoriis edocemur. Hæc autem erant Hæreticorum mala vitia, atque scelera, quæ cùm Orientalium animos corruperant, tum Orientalis Ecclesiæ pulchritudinem fædissimè decoloraverant.

De

De Catholicorum calamitatibus.

103. SEd mala Catholicorum longè alia fuere. Horum siquidem integerrima erant, mens, fides, atque religio: expers scelerum animus; purus; æqui justiq; tenax; corpus dumtaxat, vita atq; fortuna exercebantur. Hæc ego mala, ad insectationes, universa deduco; quas, per causam hæreticorum, plurimas, atque acerbissimas tempestate illa catholici tulerunt; atque illis etiam acerbiores, quas olim in Christianum nomen Ethnicorum moverat furor. Eas insectationes ad tres redigo: nam prima sub Constantio extitit; altera sub Apostata Juliano; tertia sub Valente. Constantius perpetuò sæviit; sed modò remissiùs, modò violentiùs. Ejusdem crudelitas luctu, & ærumnis universum quidem Orientem obvoluit; sed major impetus, Hęreticorum ductu, modò in hãc partem, modò in illam ferebatur; turbinis instar sese exonerantis quocumque ferat ventorum vis & arbitriũ. Sepiùs perfidus Imperator mala instauravit: primò enim per Philagriũ Præfectũ, vastavit Alexandriã Gregorij

 causâ,

causâ, qui per cædes, & sanguinem Athanasij sedem invasit. Mox Constantinopolim, causâ Macedonij, eâdem cruentâ viâ, in Episcopatum novæ Romæ irruentis: Tertiò iterùm Alexandriam, ærumnis omnibus implicuit, per Syrianum ducem, Cataphronium Præfectum, Heraclium Comitem, Diogenem, Hilarium, Faustinum Manichæum, Sebastianum, sacrilegos mininistros Imperialis Aulæ, atque perfidiæ; qui per strages & sanguinem, igne ferroq; viam stravere Georgio, ad Episcopatus Alexandrini rapinam; quæ tempestas ab urbe Alexandrina sese in Ægyptum effudit; tantaq; fuit eo tempore Catholicorum calamitas, ut Magnus Antonius, & ex ipsius alumnis cõplures, relictis solitudinibus, ad opem afflictis desertisque ferendam, accurrendum sibi putaverint.

104. Julianus deindè Apostata Idolorum cultor, sed Ario studiosus, pro ingenio, atque impietate, in Christianos præsertim Catholicos irruit. Qui, cum aliquando fideles, à Magistratibus supra modum oppressi, de tanta crudelitate apud ipsum expostulassent, hoc

lu-

ludibrio ferturmiseros excepisse:*Vestrũ est cum estis animo afflictati, æquo animo tolerare; quippe istud à Deo vestro præceptum accepistis*:quod Apostatæ dictũ pluribus (1) Nazianzenus exagitavit.

(1) *Orat.1.in Iulian.*

105. Valentis quoq;insectatio acerba fuit,plus quam cuique credibile est, ac ter maximè integrata; Sed Antiochia, & Syriæ omnis Provincia longè memorabilem ab eo cladem tulit, quæ Monachos etiam è suis antris ad auxilium Catholicorum miserè dispersorũ evocavit;ad quod pium charitatis officium præstandum,inter primos prodiere; Julianus Saba, & Aphraates sanctissimi, ac celebratissimi famâ solitarij. & Aphraatis quidem liberrimos sermones,cum Valente ea causâ initos,libenter si sineret brevitas, commemorarem. Alexandriam quoq; vastavit Valens, præsertim per causam Lucij, qui Petro,Athanasij successore,pulso, usurpationem alienæ sedis à Catholicorum direptione auspicatus est. Sed ut facilè conijciat lector, quot & cujus generis mala, ab his insectationibus, Catholicorum generi extiterint, non abs re fuerit earum

 spe-

ſpecimen aliquod exhibere: ne tamen longius, quam par eſt, noſtra hæc excurrat enarratio, ex tot cladibus unam tantum exponam, ex qua reliquarum, qui fuerit modus(ſi modum tamẽ ullum habuere) intelligi ſtatim poterit. Eam autem huc ex (1) Nazianzeno, cujus hæc ſunt veba deducam: Secunda quędam Ægypti plaga, ille, inquam, „ veritatis proditor, ille luporum paſtor, ille per caulam tranſcendens latro, ſecundus ille Arius, turbida „ illa, & amara everſio, ille impio fonte uberior fluvius, ſe ipſum in Eccleſiam introduxit: piget equidem „ flagitia ea, quæ tunc deſignata ſunt, „ & nefarias cædes, cum quibus fera „ illa Sacroſanctum ſolium invaſit, ac „ peſtiferi ingreſſus præludia referre: „ ex multis tamen pauca deploro(quę „ vos quoque mecum deploratis, & „ jam ante deploraſtis) divini Davidis verbis utens.

(1) *Nazianz. orat. 23. in laud. Heronis.*

„ Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum „ ſanctum tuum, & quæ ſequuntur. „ Poſuerunt morticinia ſervorum tuorum eſcam volatilibus, & feris in la-

cera

„ cerationem. Quin illud insuper ad-
„ ijciam, quod idem Propheta in al-
„ tera lamentatione, alioque psalmo
„ cecinit: Quanta malignatus est ini-
„ micus in Sancto tuo? Et gloriati sunt
„ qui oderunt te, in medio solemni-
„ tatis tuæ. Quid enim? An non glo-
„ riati sunt? An non sanctum templum
„ tuum varijs calamitatibus, atque
„ omni malorum genere contamina-
„ runt.

„ Ducis munere fungebatur vir im-
„ pius, & consceleratus, ne Christia-
„ ni quidem nomen gerens,(hoc enim
„ totius contumelię indignissimum est)
„ verum ab idolis ad Dei templum
„ properans, ab impuris cruoribus ad
„ execrabiliores, & detestabiliores:
„ ac fortasse hujusmodi adversus nos
„ contumeliâ, quasi victima quadam,
„ dæmonibus litans. Prodibant in aci-
„ em copiæ, furore ardentes, imma-
„ nis & ferus exercitus adversus homi-
„ nes inermes, ac rei bellicæ ignaros.
„ Expellebatur Sacerdos, viri sancti
„ successor, legitimè, atque ut spiritus
„ ordo postulabat inunctus, ac ca-
„ nitie, & prudentia ornatus. Regna-
bat

„ bat autem Tabeel, alienæ ſedis hæ-
„ res. Adverſus Sanctos arma, ad-
„ verſus res eas, quas diripi nefas erat
„ impuræ manus, adverſus pſalmos tu-
„ barum clangor. Jam quæ ſequuntur
„ conſidera: cadentes viros in locis
„ ſanctis, pedibus protritas mulieres,
„ nonnullas etiam cum naturæ onere:
„ præmaturos partus; virgines miſera-
„ bilem in modum diſtractas, fœdius
„ etiam cruciatas; (nam& ob fœminas,
„ & ob viros, pudore impedior, quo-
„ minus crudelitatis modum expo-
„ nam, atque occulta dedecoris ſer-
„ mone denudem, ut potè ob quas
„ etiam tum denudatas erubeſcam)
„ alias in interiores templi puteos ſeſe
„ deijcentes; aliasex edititori loco ſeſe
„ in præceps dantes, propter earum
„ rerum quas cernebant, indigitatem:
„ alias denique ſuper eas, quæ iace-
„ bant, acervatim collabentes. adde
„ cædes cædibus, caſus caſibus ſucce-
„ dentes: ſancta prophanis pedibus
„ calcata, altaria per obſcænos geſtus,
„ & impudicas cantiones, atque ut
„ audio (hoccine lingua audax profe-
„ ret?) ſaltationes, fædaſqne membro-

„ rum

„ rum inflexiones probo, & contume-
„ liæ habita;adde blaſphemas linguas
„ in ſacroſanctis thronis concionantes;
„ myſteria ſugillata; pſalmodias ſilen-
„ tio compreſſas;gemitus in earum lo-
„ cum excitatos;fluentes ſanguinis ri-
„ vos;lachrymarum fontes ; Sacerdo-
„ tes per vim abductos, Monachos la-
„ ceratos ; expreſſam denique incur-
„ ſionis illius imaginem , qua quon-
„ dam Aſſyrij ſanctam Hieroſolymam
„ populati ſunt , quam nec oratio , ut
„ dignum eſt , exprimere , nec auris
„ capere poteſt; unus ut Hjeremias,ad
„ eam calamitatem pro dignitate cõ-
„ plorandam,adhibendus ſit ; qui etiã
„ lachrymarum fontes expoſcit , atq:
„ ex urbis mænibus,ob eaſdem cala-
„ mitates,ad luctum homines horta-
„ tur , vijſque Syon luctum indicit, eo
„ quod nullos, à quibus feſta celebra-
„ ntur , adducant . Hanc tragædiam
„ Oriens quidem vidit , at Occidens
„ quoque deflevit:cui immanitatis hu-
„ juſce ſigna fugitiuus Antiſtes publi-
„ cè ſpectanda propoſuit : nam pro
„ cadaveribus,cruentas veſtes Eccle-
„ ſiæ Romanæ protulit, ac per tacitam

„ ac-

„ accusationem omnibus lachrymas
„ movit; ut calamitatis magnitudinē
„ in oculis, & aspectu defigeret, atque
„ auxilium nancisceretur: quemadmo-
„ dum etiam nactum esse scimus.

106. His autem similia, irrumpente Gregorio; pejora etiam in ingressu Georgii; atque aliàs sæpe Alexandriæ atque in Ægypto evenere: eadem pariter Constantinopoli, irruente Macedonio; eadem Antiochiæ; eadem in Syria atque per Orientem universum sub Constantio, sub Juliano, ac demum sub Valente acciderunt; Quos Catholicorum casus, atque labores, suis in scriptis appositè miserati sunt Athanasius, Basilius, Nazianzenus, aliique scriptores plurimi. Sed Magnus Basilius, cum à Romano Pontifice, & Occidentalibus per Epistolam opem, auxiliumque peteret, eosdemque de lachrimabili Oriētalis Ecclesiæ statu moneret; ejusmodi verba facit: Persecutio nos
„ apprehendit, fratres colendissimi,
„ persecutionum omnium gravissima.
„ Abiguntur enim pastores, ut greges
„ dispergantur. Et quod omnium est
„ durissimum, neque qui affliguntur,

cum

» cum martyrii ſpe, atque confidẽtia,
» illatas paſſiones tolerant; neque
» plebs, martyrũ loco, athletas habet
» ac veneratur: propterea quòd Chri-
» ſtianorum nomine, tecti ſunt perſe-
» cutores. Unum jam crimen eſt quod
» vehementer punitur; ſi paternas quis
» traditiones diligenter obſervet. Ob
» hanc cauſam paternis ſedibus abi-
» guntur pii, & ad ſolitudines migra-
» re coguntur. Nulla eſt apud Judices
» iniquos, cani capitis reverentia; nul-
» la religioſæ piæque vitæ exercita-
» tionis, nulla converſationis habetur
» ratio, quæ ad Evangelii normam, ab
» adoloſcentia, ad ſenectam uſque le-
» gitimè perficiatur: ſed cum nemo
» ſceleratus ſine certis indiciis condẽ-
» netur, Epiſcopi, ſola intercedente
» calumnia, damnãtur: & nulla eviden-
» ti probatione aſſertis, ac corrobora-
» tis criminationibus, ſuppliciis tra-
» duntur: nonnulli ne noverunt qui-
» dem accuſatores ſuos, neque tri-
» bunalia viderunt: neque delati ſunt
» primùm, ſed nocte intempeſta abre-
» pti, in exilium fugati ſunt; ſolitudi-
» nis calamitatibus ad mortem uſque
tra-

" traditi. Quæ verò iſta concomitentur neminem latet: etiamſi nos ſileamus: exilia Presbyterorum, exilia Diaconorum, totiuſque cleri deprædationes: neceſſe enim eſt vel adorare imaginem, vel ſævæ flagrorum flammæ tradi. Gemitus plebis, lachrymæ continuæ, & per ſingulas domos, & publicè omnibus, quæ patiuntur, inter ſe complorantibus. Nemo enim corde eſt adeò uſque lapideo; ut patre privatus placidè ferat orbitatem. Sonitus lamentantium in Civitate, ſonitus in agris, in viis, in ſolitudinibus. Vox una omnium miſeranda, ac triſtitia loquentium. Sublatum eſt gaudium, & lætitia ſpiritualis; in luctum mutatæ ſunt feſtivitates noſtræ. Domus precationum clauſæ ſunt. Altaria cultu ſpirituali vacant. Nulli amplius Chriſtianorum cœtus: nulla ampliùs doctorum præſidentia: ceſſarunt doctrinæ ſalutares: ceſſarunt panegyres, ac feſtivi conventus: publicique hymnodiæ nocturnæ non habentur: neque ſupereſt beata illa exultatio, qua Domino credentium animæ in

Sy-

„ Synaxi, ac communione ſpiritalium
„ chariſmatum exhilarantur. Nobis
„ jam dicere licet, quod in hoc tem-
„ re ſit, neque Princeps, neque Pro-
„ feta, neque Præſes, neque oblatio,
„ neque incenſum, neque locus, ubi
„ coram Domino poſſit offerri Sacri-
„ ficium, ac miſericordia acquiri. Hęc
„ ſciẽtibus ſcribimus: propterea quod
„ nulla Orbis pars eſt, quę calamitates
„ noſtras ignorat. Quare nolite exiſti-
„ mare, quod iſta vobis docendi, vel
„ admonẽdæ diligentiæ veſtræ gratia
„ loquamur; (novimus enim quod
„ noſtri nunquam ſitis obliti: non mi-
„ nus quam mater filiorum uteri ſui.
„ Sed, quemadmodum qui dolore ali-
„ quo occupantur, per gemitus ſolent
„ relevare mærorem, ita & nos faci-
„ mus: ut mæſtitiæ gravitatem non ni-
„ hil excutiamus.

Lacrimabilis facies Orientalis Eccleſiæ.

107. SEd ex hac malorum tanta cõſpiratione; inter tot bonorum calamitates, tantaq; ſcelera peſſimorum incredibilis orientis perturbatio nata eſt,

eſt, atque confuſio: quam idem Baſilius uti diximus aptiſſimè cum navali pugna comparavit, nocturno tempore, fulminante Cælo, iratoque mari commiſſa: quam Baſilii comparationem pulcherrimam non invitus exhibeo, ut in ea lector, Orientalis Eccleſiæ vaſtitatem, miſeramque faciem eorum temporum relegat; nam hoc etiam in hujus capitis titulo exponendum propoſui. Baſilii verba ſunt hujuſcemodi.

(1) *Baſil. de Spir. Sāct. ad Amphiloch. c. ult.*

Cui igitur (1) comparabimus præſentem ſtatum? Profectò ſimilis prælio „ navali, quod ex multo odio, ex ve„ teribus offenſis, inter ipſos, per lon„ gum tempus alito, bellis nauticis „ aſſueti viri quipiam, ac bellaces in„ ſtituerunt. Nunc igitur, in hac ima„ gine, mihi ſpecta terribilem utrin„ que concurſum, mox ira jam eo erū„ pente, ut ſit immedicabilis, utram„ que partem ſimul proſtratam confi„ ci. Pone ſi vis, violento turbine „ circumagi claſſem, caliginemque „ denſam è nubibus incumbere, adeo„ que obſcurare rerum viſibilium ſpe„ cies, ut nulla ſit amicorum, & ho„ ſtium diſcretio, propterea quod ob

con-

„ confusionem symbola militaria sint
„ ignota . Huic imagini, propter evi-
„ dentiam, addamus etiam mare intu-
„ mescere, atque ab imo subuerti; ve-
„ hementem imbrem è nubibus deor-
„ sum erumpere ; horribilemque pro-
„ cellam ingentibus , ac decumanis
„ fluctibus exurgere : post hæc ven-
„ tis undique cursantibus , totam
„ classem inter se; cũ fragrore collidi ;
„ atque ex his qui in acie stant , alios
„ quidem castra sua prodentes , atque
„ flagrante prelio transfugientes;alios
„ cogi ut pariter, & scaphas impellant
„ à ventis actas , & occurrant irrum-
„ pentibus , seseque mutuo, per sedi-
„ tionem trucident; quam seditionem
„ partim invidia adversus prestantio-
„ res , partim, quæ singulis adest, vin-
„ cendi cupiditas excitavit . Ad hæc
„ cogita confusum quemdam, & indi-
„ scretum clamorem , per universum
„ illud mare resonantem , partim è
„ ventorum strepitu , partim è colli-
„ sione naviũ , partim ex vociferatio-
„ ne præliantium : varias voces , pro
„ singulorum affectibus emitti,ut neq;
„ Naucleri, neque Gubernatoris vocẽ

L exau-

„ exaudire liceat; sed prodigiosam
„ quamdam misturam confusionemq;
„ incredibili quadam malorum ma-
„ gnitudine, ob vitæ desperationem,
„ omnem eis peccandi licentiam asse-
„ rente. Adjice jisdem, & immedica-
„ bilem quendam morbum, ac insana-
„ bilem, præ gloriæ cupiditate, insaniã,
„ ut cum navis jam in fundum maris
„ deferatur, tamen ipsi vectores, de
„ primatus contentione nihil remit-
„ tant.

Hic erat ætate illa Orientalis Ecclesiæ miserandus aspectus; ad quem statum eandem adduxerant quæ diximus hæreticorum scelera, ærumnæ Catholicorum, atque utrorumq; mistio, & conspiratio malorum.

De malis quæ tùm Catholicos, tùm hæreticos affecerunt.

108. AD hæc, aliæ calamitates plurimæ luctuosiorem, per eadẽ tempora, fecerant Orientem. Nam tunc furor Saporis Parsarum Regis, in Christifideles omnes effundi, dominari fames, irruere tempestates; præterea bel-

la aspera Gothorum, Persarum, Saracenorum; civilia plura, per Orientem grassari visa sunt. His accessere immanissimi terrarum motus, qui principes Orientis urbes afflictarunt; eas præsertim, in quibus funestiores tragædias excitaverat superstitio. Alexandria mirum in modum concussa est: Nova Roma labefactata: Antiochia horrendum tremuit: Nicomedia, atque Nicæa funditus concidere. Motum quo Nicomedia tota ruit, his describit (1) Ammianus: Jisdem (2) diebus terræmotus horrẽdi perMacedoniam, Asiãq; „ & Pontum, assiduis impulsibus op- „ pida multa concusserunt, & mon- „ tes. Inter monumenta tamen mul- „ tiformium erumnarum eminuereNi- „ comediæ clades, Bithyniæ urbium „ matris, cujus ruinarum eventum „ verè breviterque absolvam. Pri- „ mo lucis exortu die IX. Kal: Se- „ ptembrium, concreti nubium globi „ nigrantium, lætam paulo ante cœli „ speciem confuderunt; & amanda- „ to Solis splendore, nec contigua, „ vel apposita cernebantur: ita oculo- „ rum obtutu perstricto, humo, invo-

(1) *Ammian. lib.* 17.

(2) *Anno* 358 *Liberii* 7. *Cõstantii* 22.

„ lutus vastę caliginis squalor, insedit.
„ Deinde, velut Numine summo fata-
„ les contorquente manubias, ventos-
„ que ab ipsis excitante cardinibus,
„ magnitudo furentium incubuit pro-
„ cellarum ; cujus impetu pulsorum
„ auditus est montium gemitus, & eli-
„ si littoris fragor : hæcque sequuti
„ typhones, atque præsteres cum hor-
„ rifico tremore terrarum, civitatem
„ & suburbana funditùs everterunt; &
„ quoniam acclivitate collium, ędes
„ pleræque vehebantur, aliæ super
„ alias concidebant, reclangentibus
„ cunctis sonitu ruinarum immenso.

„ Interimque clamoribus variis
„ excelsa culmina resultabant, quæri-
„ tantium conjuges, liberosque, etsi
„ quid necessitudinis arctè constrin-
„ gunt. Post horam denique secun-
„ dam, multo ante tertiam, aer jam
„ sudus, & liquidus latentes retexit
„ funereas strages. Nonnulli enim
„ superruentium ruderum vi nimia
„ constipati, sub ipsis interiere ponde-
„ ribus: quidam, collotenus aggeribus
„ obruti, cum superesse possent, si qui
„ juvissent, auxiliorum inopia neca-
ban-

„ bantur. Alii lignorum extantium
„ à culminibus fixi pendebant: uno
„ ictu cæsi complures, paulò ante ho-
„ mines, tunc promiscuè strages cada-
„ verum, cernebantur. Quosdam do-
„ morum inclinata fastigia, intrinsecus
„ ferebant intactos, angore, & inedia
„ consumendos: Inter quos Aristæ-
„ netus, affectatam regens diæcesim,
„ curans, vicaria potestate, quam Con-
„ stantius ad honorem uxoris Eusebię,
„ *Pietatis* cognominarat, animam hoc
„ casu cruciatam diutiùs exhalavit.
„ Alii subita magnitudine oppressi,
„ jisdem adhuc molibus conteguntur:
„ collisis quidam capitibus, vel hu-
„ meris præsectis, aut cruribus, inter
„ vitæ mortisque confinia, aliorum
„ adjumenta, paria perferentium, im-
„ plorantes cum obtestatione magna,
„ deserebantur. Et superesse potuit
„ ædium sacrarum, & privatarum, ho-
„ minumque pars major; ni palantes
„ abrupti flammarũ ardores, per quin-
„ quaginta dies, & noctes, quicquid
consumi poterat, exussissent.

109. Hæc Nicomediæ ruina memorabilis, quam Arsacius vir sanctissimus

turdis Nicomediensibus antea prænuntiaverat, causa fuit, quo minus ea in urbe, conciliabulum, quod Constantius paulò ante jusserat, iniretur. Eo etiam motu, novam Romam fluctuasse, & Apostolorum templum labefactatum fuisse memorant: unde propterea, curâ Macedonii τȣ̃ κατασκόπȣ, Constantini Magni cineres, in Ecclesiam Sancti Acacii martyris deducti fuere.

Motus autem, atque tempestas, quæ septem post annos, cùm totum ferè conterruit Orbem Terrarum, tùm in Alexandriam violentius irruit, ab eodem Ammiano (1) coloribus hujuscemodi depingitur: Ad diem duodecimum Kal. August. Consule (1) Valentiniano primùm cum fratre, horrendi tremores per omnem Orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulò enim post lucis exortum, densitate prævia fulgurum acrius vibratorum, tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas ponderis: mareque dispulsum retrò, fluctibus evolutis abscessit; ut retecta voragine profundorum, species

(1) *Anno Christi 365. Liberii P. 14. Valentiniani ac Valentis ImPP. 2.*

» cies natantiũ multiformes, limo cer-
» nerentur hærentes; valliumque va-
» ſtitates, & montium tunc, ut opinari
» dabatur, ſuſpicerent radios Solis,
» quos primigenia rerum ſub immen-
» ſis gurgitibus amandavit. Multis
» etiam navibus velut arida humo
» connexis, & licenter per exiguas un-
» darum reliquias palantibus pluri-
» mis, ut piſces manibus colligerent
» & ſimilia; marini fluctus, velut gra-
» vati repulſam, verſa vice conſurge-
» rent, perq; vada ferventia, inſulis &
» continentis Terræ porrectis ſpatiis
» violenter illiſi, innumera quædam in
» civitatibus, & ubi reperta ſunt ædifi-
» cia complanarunt. Proinde ut ele-
» mentorum furente diſcordia, invo-
» luta facies Mundi miraculorum ſpe-
» cies oſtendebat.

» Relapſa enim ęquorum magni-
» tudo, cum minimè ſperaretur, millia
» multa necavit hominum, & ſubmer-
» ſit: recurrentiumque æſtuum incitata
» vertigine, quædam naves, poſtquam
» humentis ſubſtantię cõſenuit tumor,
» peſſum datę viſæ ſunt; exanimataque
» naufragiis corpora ſupina jacebant,

 aut

„ aut prona. Ingentes aliæ naves ex-
„ trusæ rapidis flatibus, culminibus in-
„ sedere tectorum, ut Alexandriæ con-
„ tigit; & ad secundum lapidem ferè
„ procul à littore contortæ sunt ali-
„ quæ, ut Lanconicam, propè Metho-
„ nem oppidum, nos transeundo con-
„ speximus diuturna carie fatiscētem)
hactenus Ammianus. Cui non abs re puto, socium addere (1) Sozomenum de terræmotu eodem hæc ipsa perhiben-
„ tem: eo die quo ista acciderũt (quem
„ γενέσια, ideſt, natalitia terræmotus
„ vocant) festum quotannis Alexan-
„ drini etiamnum agunt, in quo, quam-
„ plurimis per totam urbem lucernis
„ accensis, & precibus ad Deo gratias
„ agendas fusis, cum magno splendo-
„ re hunc diem festum, & non minore
„ cum reverentia, celebrant. (2) Anno deinde à tempestate Alexandrina tertio, iterùm oriens præsertim Asia tremuit, atque urbs Nicæa Magno Concilio nobilis penitùs eversa est; ex cujus ruina ferè solus (3) evasit Cæsarius Theologi Nazianzeni frater. Sancta etiam Hierosolymorum Civitas dies plures nutavit; sed Antio-

(1) *Sozzom. lib. 6. cap. 2.*

(2) *Anno 368 Damasi. 2. Valentiniani, ac Valentis 5.*

(3) *Gregor. Nazidz. orat. in laud. Cæsarii.*

tiochia (si Socrati, (1) atque Sozomeno fides) annum integrum, sedente Julio Pontifice , & Constantio cum fratribus imperante, contremuit: quo tempore Ephrem (2) Syrus pulcherrima oratione , Orientales ad Pænitentiam est cohortatus , ex qua cohortatione hæc pauca dumtaxat memoro: *Terra tremiscens à facie Domini , sub pedibus nostris commovetur , ut nobis metum incutiat ; & nec sic ob nostram duritiem formidamus . Urbes integræ absorptæ sunt , & loca ab ira Domini desolata , & nec sic corde pavemus . Bella Persarum , & diversarum gentium barbararum commota sunt , & regiones nostras desolaverunt , ut nos metuentes Deum pænitentiam ageremus, cum indigeamus utique pænitentiâ, non dierum, aut mensium , sed temporum plurimorum , & nec sic converti volumus .* Ita concitatissimis illis temporibus , hæreticorum scelera; insectationes , ærumnæque Catholicorum; sacrarùm rerum desolatio: Bella item , fames , Terræmotus , tempestates , urbium subversiones ; terroresque de Cælo , & signa magna , adeò miseros Orientales contriverant; ut Ira Dei

(1) *Socrates lib. 2. cap. 7. Sozzomen. [l. 3. c. 5.*

(2) *Anno* 340

Dei, omnibus armata furoribus, in Orientem irruisse videretur. Verùm de malis, quibus eo tempore Orientalis Eclesia premebatur, ac de ejuſdem facie lachrymabili dicta ſufficiant. Ad lætiora properemus.



CAPUT



CAPUT QUARTUM.

De Concilio Nicæno Magno.

110. ICÆA, olim Antigonia dicta, urbs fuit haud ignobilis in Bithynia provinciâ minoris Asiæ, quæ per illud tempus, sub exarcha Ephesino, & Antiocheno Patriarcha erat posita. Ea in urbe primum æcumenicum, omniumque præstantissimum Concilium est celebratum; quod à loco *Nicænum* majores nostri vocavere. Sanè Orientalis Ecclesia, ipsaque in primis Nicæa urbs multò clarior evasit, ejus Concilii majestate: nam augustiorem, sanctioremq; conventum, nulla unquam vidit ætas. Sanctus Silvester Episcopus Romæ, cùm sui

ſui Pontificatus annum ageret undecimum, id Concilium indixit; Conſtantinus Magnus omnibus favoribus juvit; qui tunc, hoſtibus omnibus ſuperatis, annum nonum ſupra decimum in pacifico Regno verſabatur: Ille, ad Epiſcopos ex omni mundo cogendos, Pontificiam authoritatem, hic Imperialem operam contulere. Cauſa ineundæ Synodi, Ariana perfidia fuit. Tempus quo inita eſt, idem quod ſæpe diximus: anno nimirum reparatæ ſalutis 325. Qui convenerunt Epiſcopi (ut vulgata magis fert opinio) numero fuere 318. quot ſcilicet fuiſſe in ſcriptura perhibentur illi domeſtici, qui Abrahamo, de victoribus regibus, victoriam peperere. Hic verò numerus (quæ Mediolanenſis Ambroſii animadverſio eſt) ſi græcis caracteribus exprimatur, Crucem exhibet, atque initium nominis Ἰησοῦ: hoc nimirum exemplo: ΤΙη. quæ notæ noſtratibus his reſpondent 318.

111. Omnium Nicænorum Patrum nomina Epiphanius olim (uti ab Hieronymo accepimus) curiosè conquiſita conſcripſerat; verùm poſteà, quod maximè dolemus, ita temporum injuriâ

pe-

periere, ut dispersa huc illuc pauca supersint. Ex Oriente prima Capita interfuerunt: Sanctus Alexander cognomento Magnus Alexandrinus Patriarcha, qui secum duxerat Athanasium, eo tempore Diaconum Alexandriæ; Sanctus Eusthatius item Magnus, Patriarcha Antiochenus; Tum Episcopus Æliæ Sanctus Macharius; deinde Sanctus Alexander Bizantii, de quo Alexandro duplex fama est: Alii pro Menophanto ejus urbis Episcopo adhuc superstite, alii contra, Menophanto pridem defuncto, Episcopum ipsum in Concilium venisse putant. Memorantur præterea inter Nicænos Patres, Sanctitate ac famâ incliti Episcopi, Sanctus Paphnutius Thebaidis, Sanctus Potamon Heracleæ Niloticæ, Sanctus Jacobus Nisibis, Sanctus Amphion Epiphaniæ, Sanctus Hippatius Gangres, Sanctus Nicolaus Myræ, Sanctus Spiridion Trimituntis, Sanctus Alexander Thessalonicæ: Tùm Sanctus Asclepas Gazzæ, Sãctus Leontius Cæsareæ, Sanctus Basilius Amaseæ, Sanctus Meletius Sebastopolis: quorum præ cæteris eò meminimus, quòd omnes in Sanctorum numerum

sint

ſint relati. Sanctus Silveſter Summus Pontifex, ſenio viribuſque confectus, atque impar tanto itineri ſuſcipiendo, abfuit: Oſio Epiſcopo Cordubenſi, Vitoni ſeu Victori, atque Vincentio, abſentis Pontificis datæ vices: Nam quòd Romanus Epiſcopus triplici dignitate polleret, atque Chriſti eſſet Vicarius, ſimul Patriarcha Occidentis, tum Epiſcopus Romæ veteris, ob eam rem ſignificandam, legati tres à Silveſtro ſunt conſtituti; qui diviſim vices gererent earum partium, quæ in unam Romanam Sedem ſimul coeunt: & Oſius pro Chriſti Vicario, Viton pro Patriarcha Occidentis, Vincentius pro Epiſcopo Romę, Concilio adeſſent: quam etiam cauſam ſtatuo cur Oſius, ſimplex cæteroqui ab Occidẽte ultimo Epiſcopus, poſthabitis nihilominus Patriarchis, ductor fuerit Concilii, principeſq; honores eo in ampliſſimo ſenatu obtinuerit. Exinde mos valuit apud Romanos Epiſcopos, uti ad Concilia ęcumenica, pro triplici eorum poteſtate, tres pariter Nuntios conſtituerent; quod à Julio fuiſſe factum in Sardicenſi Concilio; ab Leone in Chalcedonenſi, atque ab aliis ſæpè per occa-

ſiones

ſiones, memoriæ proditum eſt. Arianarum item partium interfuerunt, Euſebius ipſe Nicomediç veterator infelix, & factionis anteſignanus, Euſebius Cæſareæ in Paleſtina, Theodoretus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aëtius Liddæ, Metrophantus Epheſi, Narciſſus Neroniadis in Cilicia, Patrophilus Scytopolis, Theognis Niceæ, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis: ſuntqui addant Marin Chalcedoniç. Arius item venit, credo vocatus, ut de illo præſente quæſtio fieret. Nullum expenſarum incõmodum ſubiere ad Synodum profecturi Patres: Conſtantinus enim regio animo, inſitâque ingenio liberalitate omnibus præſto fuit: Imperii miniſtris ubique juſſis, uti Epiſcopis Nicæam diſcedentibus, de pecunia, vectoribuſque publicis, omnia ſuppeditarent quæ itineri uſui forent. Tantumque operæ, auxiliique generoſus Princeps ad eam cogendam Synodum contulit, ut illius author, apud vetera monumẽta, non rarò nominetur. Ita Conſtantinus ab Oriente, Silveſter ab Occidente, Chriſtus de Cælo, Sanctorum illam

mul-

turdis Nicomedienſibus antea prænuntiaverat, cauſa fuit, quo minus ea in urbe, conciliabulum, quod Conſtantius paulò ante juſſerat, iniretur. Eo etiam motu, novam Romam fluctuaſſe, & Apoſtolorum templum labefactatum fuiſſe memorant: unde propterea, curâ Macedonii τῦ κατοσκόπυ, Conſtantini Magni cineres, in Eccleſiam Sancti Acacii martyris deducti fuere.

Motus autem, atque tempeſtas, quæ ſeptem poſt annos, cùm totum ferè conterruit Orbem Terrarum, tùm in Alexandriam violentius irruit, ab eodem Ammiano (1) coloribus hujuſcemodi depingitur: Ad diem duodecimum Kal. Auguſt. Conſule (1) Valentiniano primùm cum fratre, horrendi tremores per omnem Orbis ambitum graſſati ſunt ſubito, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulò enim poſt lucis exortum, denſitate prævia fulgurum acrius vibratorum, tremefacta concutitur omnis terreni ſtabilitas ponderis: mareque diſpulſum retrò, fluctibus evolutis abſceſſit; ut retecta voragine profundorum, ſpecies

(1) *Anno Chriſti 365. Liberii P. 14. Valentiniani ac Valentis ImPP. 2.*

„ cies natantiũ multiformes, limo cer-
„ nerentur hærentes; valliumque va-
„ ſtitates, & montium tunc, ut opinari
„ dabatur, ſuſpicerent radios Solis,
„ quos primigenia rerum ſub immen-
„ ſis gurgitibus amandavit. Multis
„ etiam navibus velut arida humo
„ connexis, & licenter per exiguas un-
„ darum reliquias palantibus pluri-
„ mis, ut piſces manibus colligerent
„ & ſimilia; marini fluctus, velut gra-
„ vati repulſam, verſa vice conſurge-
„ rent, perq; vada ferventia, inſulis &
„ continentis Terræ porrectis ſpatiis
„ violenter illiſi, innumera quædam in
„ civitatibus, & ubi reperta ſunt ædifi-
„ cia complanarunt. Proinde ut ele-
„ mentorum furente diſcordia, invo-
„ luta facies Mundi miraculorum ſpe-
„ cies oſtendebat.

„ Relapſa enim ęquorum magni-
„ tudo, cum minimè ſperaretur, millia
„ multa necavit hominum, & ſubmer-
„ ſit: recurrentiumque æſtuum incitata
„ vertigine, quædam naves, poſtquam
„ humentis ſubſtantię cōſenuit tumor,
„ peſſum datę viſæ ſunt; exanimataque
„ naufragiis corpora ſupina jacebant,

„ aut prona. Ingentes aliæ naves ex-
„ trusæ rapidis flatibus, culminibus in-
„ ſedere tectorum, ut Alexandriæ con-
„ tigit; & ad ſecundum lapidem ferè
„ procul à littore contortæ ſunt ali-
„ quæ, ut Lanconicam, propè Metho-
„ nem oppidum, nos tranſeundo con-
„ ſpeximus diuturna carie fatiſcētem)
hactenus Ammianus. Cui non abs re
puto, ſocium addere (1) Sozomenum de
terræmotu eodem hæc ipſa perhiben-
„ tem: eo die quo iſta acciderūt (quem
„ *γενέσια*, ideſt, natalitia terræmotus
„ vocant) feſtum quotannis Alexan-
„ drini etiamnum agunt, in quo, quam-
„ plurimis per totam urbem lucernis
„ accenſis, & precibus ad Deo gratias
„ agendas fuſis, cum magno ſplendo-
„ re hunc diem feſtum, & non minore
„ cum reverentia, celebrant. (2) Anno
deinde à tempeſtate Alexandrina
tertio, iterùm oriens præſertim Aſia
tremuit, atque urbs Nicæa Magno
Concilio nobilis penitùs everſa eſt;
ex cujus ruina ferè ſolus (3) evaſit
Cæſarius Theologi Nazianzeni fra-
ter. Sancta etiam Hieroſolymorum
Civitas dies plures nutavit: ſed An-
tio-

(1) *Sozzom. lib. 6. cap. 2.*

(2) *Anno 368 Damaſi 2. Valentiniani, ac Valentis 5.*

(3) *Gregor. Nazianz. orat. in laud. Cæſarii.*

tiochia (si Socrati, (1) atque Sozomeno fides) annum integrum, sedente Julio Pontifice, & Constantio cum fratribus imperante, contremuit: quo tempore Ephrem (2) Syrus pulcherrima oratione, Orientales ad Pænitentiam est cohortatus, ex qua cohortatione hæc pauca dumtaxat memoro: *Terra tremiscens à facie Domini, sub pedibus nostris commovetur, ut nobis metum incutiat; & nec sic ob nostram duritiem formidamus. Urbes integræ absorptæ sunt, & loca ab ira Domini desolata, & nec sic corde pavemus. Bella Persarum, & diversarum gentium barbararum commota sunt, & regiones nostras desolaverunt, ut nos metuentes Deum pænitentiam ageremus, cum indigeamus utique pænitentiâ, non dierum, aut mensium, sed temporum plurimorum, & nec sic converti volumus.* Ita concitatissimis illis temporibus, hæreticorum scelera; insectationes, ærumnæque Catholicorum; sacrarùm rerum desolatio: Bella item, fames, Terræmotus, tempestates, urbium subversiones; terroresque de Cælo, & signa magna, adeò miseros Orientales contriverant; ut Ira

Dei

(1) *Socrates lib. 2. cap. 7. Sozzomen. l. 3. c. 5.*

(2) *Anno* 340

Dei, omnibus armata furoribus, in Orientem irruisse videretur. Verùm de malis, quibus eo tempore Orientalis Eclesia premebatur, ac de ejusdem facie lachrymabili dicta sufficiant. Ad lętiora properemus.



CAPUT



CAPUT QUARTUM.

De Concilio Nicæno Magno.

110. ICÆA, olim Antigonia dicta, urbs fuit haud ignobilis in Bithynia provinciâ minoris Asię, quæ per illud tempus, ſub exarcha Epheſino, & Antiocheno Patriarcha erat poſita. Ea in urbe primum æcumenicum, omniumque præſtantiſſimum Concilium eſt celebratum; quod à loco *Nicænum* majores noſtri vocavere. Sanè Orientalis Eccleſia, ipſaque in primis Nicæa urbs multò clarior evaſit, ejus Concilii majeſtate: nam auguſtiorem, ſanctioremq; conventum, nulla unquam vidit ætas. Sanctus Silveſter Epiſcopus Romæ, cùm

ſui

sui Pontificatus annum ageret undecimum, id Concilium indixit; Constantinus Magnus omnibus favoribus juvit; qui tunc, hostibus omnibus superatis, annum nonum supra decimum in pacifico Regno versabatur: Ille, ad Episcopos ex omni mundo cogendos, Pontificiam authoritatem, hic Imperialem operam contulere. Causa ineundæ Synodi, Ariana perfidia fuit. Tempus quo inita est, idem quod sæpe diximus: anno nimirum reparatæ salutis 325. Qui convenerunt Episcopi (ut vulgata magis fert opinio) numero fuere 318: quot scilicet fuisse in scriptura perhibentur illi domestici, qui Abrahamo, de victoribus regibus, victoriam peperere. Hic verò numerus (quæ Mediolanensis Ambrosii animadversio est) si græcis caracteribus exprimatur, Crucem exhibet, atque initium nominis Ἰησοῦ: hoc nimirum exemplo: ΤΙη. quæ notæ nostratibus his respondent 318.

111. Omnium Nicænorum Patrum nomina Epiphanius olim (uti ab Hieronymo accepimus) curiosè conquisita conscripserat; verùm posteà, quod maximè dolemus, ita temporum injuriâ pe-

periere, ut dispersa huc illuc pauca supersint. Ex Oriente prima Capita interfuerunt: Sanctus Alexander cognomento Magnus Alexandrinus Patriarcha, qui secum duxerat Athanasium, eo tempore Diaconum Alexandriæ; Sanctus Eusthatius item Magnus, Patriarcha Antiochenus; Tum Episcopus Æliæ Sanctus Macharius; deinde Sanctus Alexander Bizantii, de quo Alexandro duplex fama est: Alii pro Menophanto ejus urbis Episcopo adhuc superstite, alii contra, Menophanto pridem defuncto, Episcopum ipsum in Concilium venisse putant. Memorantur præterea inter Nicænos Patres, Sanctitate ac famâ incliti Episcopi, Sanctus Paphnutius Thebaidis, Sanctus Potamon Heracleæ Niloticæ, Sanctus Jacobus Nisibis, Sanctus Amphion Epiphaniæ, Sanctus Hippatius Gangres, Sanctus Nicolaus Myræ, Sanctus Spiridion Trimituntis, Sanctus Alexander Thessalonicæ: Tùm Sanctus Asclepas Gazzæ, Sãctus Leontius Cæsareæ, Sanctus Basilius Amaseæ, Sanctus Meletius Sebastopolis: quorum præ cæteris eò meminimus, quòd omnes in Sanctorum numerum sint

ſint relati. Sanctus Silveſter Summus Pontifex, ſenio viribuſque confectus, atque impar tanto itineri ſuſcipiendo, abfuit: Oſio Epiſcopo Cordubenſi, Vitoni ſeu Victori, atque Vincentio, abſentis Pontificis datæ vices: Nam quòd Romanus Epiſcopus triplici dignitate polleret, atque Chriſti eſſet Vicarius, ſimul Patriarcha Occidentis, tum Epiſcopus Romæ veteris, ob eam rem ſignificandam, legati tres à Silveſtro ſunt conſtituti; qui diviſim vices gererent earum partium, quæ in unam Romanam Sedem ſimul coeunt: & Oſius pro Chriſti Vicario, Viton pro Patriarcha Occidentis, Vincentius pro Epiſcopo Romę, Concilio adeſſent: quam etiam cauſam ſtatuo cur Oſius, ſimplex cæteroqui ab Occidēte ultimo Epiſcopus, poſthabitis nihilominus Patriarchis, ductor fuerit Concilii, principeſq; honores eo in ampliſſimo ſenatu obtinuerit. Exinde mos valuit apud Romanos Epiſcopos, uti ad Concilia ęcumenica, pro triplici eorum poteſtate, tres pariter Nuntios conſtituerent; quod à Julio fuiſſe factum in Sardicenſi Concilio; ab Leone in Chalcedonenſi, atque ab aliis ſæpè per occa-

ſiones

ſiones, memoriæ proditum eſt. Arianarum item partium interfuerunt, Euſebius ipſe Nicomediç veterator infelix, & factionis anteſignanus, Euſebius Ceſareæ in Paleſtina, Theodoretus Laodiceæ, Paulinus Tyri, Athanaſius Anazarbi, Gregorius Beryti, Aëtius Liddæ, Metrophantus Epheſi, Narciſſus Neroniadis in Cilicia, Patrophilus Scytopolis, Theognis Niceæ, Theonas Marmaricæ, Secundus Ptolemaidis: ſuntqui addant Marin Chalcedoniç. Arius item venit, credo vocatus, ut de illo præſente quæſtio fieret. Nullum expenſarum incõmodum ſubiere ad Synodum profecturi Patres: Conſtantinus enim regio animo, inſitâque ingenio liberalitate omnibus præſto fuit: Imperii miniſtris ubique juſſis, uti Epiſcopis Nicæam diſcedentibus, de pecunia, vectoribuſque publicis, omnia ſuppeditarent quæ itineri uſui forent. Tantumque operæ, auxiliique generoſus Princeps ad eam cogendam Synodum contulit, ut illius author, apud vetera monumẽta, non raró nominetur. Ita Conſtantinus ab Oriente, Silveſter ab Occidente, Chriſtus de Cælo, Sanctorum illam

mul-

multitudinem forti, potentique manu Nicæam ducere visi sunt.

112. Commemorare hic possem, quæ Patrum inter se fuerit gratulatio, cùm in eam urbem cõvenissent omnes; quæ voluptas usurpare oculis tot senes obfirmatæ virtutis, & ingenti famâ celebratissimos: quale spectaculum adversa vulnera Confessorum; quale fortissimi Christi milites exhibuerint; pars effossis oculis; plures succisis poplitibus; alii aliis pro fide acceptis stigmatibus insignes, ac decora deformitate spectabiles: verum ea res propositæ brevitatis fines longiùs excederet. Episcopi Nicææ templum simul omnes adivere, quò totius Ecclesiæ nomine, Deo maximo de recepta pace, de fidei successibus, de tantâ Crucis parta gloria, solemni ritu gratias agerent. Constantinus, ubi de ipsorum adventu audivit, Nicomediâ (quæ tunc, non dum nova Roma dedicata, sedes erat Orientalis Imperii) maturè se Nicæam contulit; tùm ut amplissimam illam Sanctorum Societatem inviseret: tùm etiam ut Cõcilium præsentia sua cohonestaret, ac motus hæreticorum, si qui fortè subori-

ren-

rentur, authoritate componeret. Incredibile memoratu est, quot religionis suæ documenta, per illam occasionem piissimus Augustus ediderit; & quot exempla Christiano Principe digna posteritati reliquerit: quanta reverentia Episcopos habuerit: qua liberalitate, quove sumptu, toto Concilii tempore, aluerit Patres omnes, eorumque comitatum immensum; quo pietatis ardore in Confessorum amplexum ruere, vulnerumque cicatrices deosculari visus sit.

113. Post hęc, Aulam Imperialium ædium, locum statuit ineundi Concilii, *bono quidem affectu* (ut sulpitius ait) sed *malo exemplo*; namque posteà Constantius, Deinde Valens, simili honoris prętextu abusi, libertatem Conciliorum inviolabilem oppressere. In eam Aulam convenere Patres, uti ferunt 12. Kalēd. Jul. Sedendi rationem non satis habeo exploratam: alii aliam edunt: quæ à scriptoribus plurimis, magisque probatis traditur, est hujusmodi. Osius præerat Romani Pontificis cum Vitone, atq; Vincentio Legatus; qui sublimi, editiorique loco sedisse feruntur. Primi

M post

post Legatos locum obtinebant Alexãder Alexandrinus, Eustathius Antiochenus, tùm Macharius Hierosolymitanus; Aliorum verò Patrum quis fuerit sedendi ordo, incertum omninò est. Aula in media excelsum, splendidumque surgebat solium: ibi, veluti Christi vicẽ gerẽs, Evangeliorum liber est collocatus: quo significatum est, Christum *in medio eorum* adesse; ac veritatem in Ecclesiæ utero inveniri. Postquam Episcoporum quisque suum occupaverat locum, Imperator pietatem simul, ac majestatem spirans, auro gemmisque, magis verò pudore atque modestia spectabilis; sine armatis, sine excubiis, sine prætorianis, aulam ingressus est: cui Patres assurrexere omnes: sed Princeps induci minimè potuit, ut prior ipse sederet; imo nec anteà sedere voluit, quàm ipsi Patres, signo aliquo, sedẽdi veniam darent. Tum demùm sedit, aureâ, sed humili, demissâque admodum sella. Post hæc magnus Eustathius Antiochenus, apposita oratione initium Concilio fecit. Sunt qui curiosè causam quærant, cur initiandi Concilii partes, Antiocheno Eusthatio sint potius datæ: sed
ejus

ejus rei, prompta mihi ratio videtur: quòd nimirum Nicæa sub Antiocheni ditione posita esset: æquum enim fuit, ut is Patriarcha ejusmodi partes susciperet, in cujus diæcesi synodus celebraretur. Constantinus Eusthatium excepit alia tanto Principe digna oratione. Exinde consultationes initę.

114. Ariana hæresis, quæ prima Patrum cura & cogitatio erat, primùm in quæstionem deducta. Eusebiani conscientiâ scelerum trepidi, moras nectere; crimina Patribus appingere; libellos dolis falsisque criminibus plenos Imperatori offerre; omnia tentare; quò impendens fulmen averterent. Verùm impios conatus Constantini religio, ac sapientia irritos fecit: Judicium omne Sacerdotibus integrum inviolatumque reliquit; veteratorios Eusebianorum libellos palam cremari jussit. Arius appellatus, ut de præsenti, & audito quæstio fieret, audacia incredibili errores suos propugnavit. Sed Athanasius in primis contra stetit, sapientia humana majore: ex quo tempore, odio, atque formidini Eusebianis cæpit esse Athanasius. Marcellus quoque Ancyranus

adversus Arium cum disputasset, famã laudemque obtinuit; quam posteà laudem, diversarum hæresum suspicione obscuravit. Eusebianos fidei quandam formulam instruxisse invenio, eamque obtulisse Nicænis Patribus: de hac fidei formula varia mentio est: Eusebius probatam fuisse Concilio; Theodoretus laceratam, atque anathemate percussam memorant: sed Eusebii, qui ex illis erat, hac in re suspecta fides esse debet. Post hæc Sancta Synodus, divino imbuta spiritu, adversus Arium gravi sententia tonuit, ac majori anathemate fulminavit: contrita hęresis est; percussa Thalia; rebelles notati atque proscripti. Ad hæc Concilii præses, atq; Pater Osius, celebratam fidei regulam composuit, qua Filius Patri Ομούσιος, idest, consubstantialis statuitur, quam deinde summa religione tota posteritas coluit. Huic Patres subscripsere omnes, sed Eusebiani num. 17. magna contentione Homousio repugnare cęperunt; novitatis quidem prætextu, quasi vocabulum insolens in Ecclesia esset, ac peregrinum, re autem, quòd ea vox una Arianismum à fundamentis labefactaret

ret: paulò tamen post, pænarum metu subscripserunt: pauci, qui à perfidia dimoveri non potuerunt, pænis affecti sūt. Pistus, & Euzojus percussi anathemate; Theonas Marmaricæ, atque secundus Ptolemaidis exules cum Ario acti. Quod verò ad novitatem attinet, in hoc etiam Eusebiani fallebantur; etenim Athanasius, (1) & Eusebius ipse Cæsareæ sunt authores, ante Nicænam Synodum, geminum Dionysium Romanum, & Alexandrinum Sanctos, atque sinchronos, ea voce consubstantialis fuisse usos. Ita negotium Arianismi magno in Concilio expeditum est.

Euseb. apud Theodoret. l. 1. cap. 11.


115. Tùm de aliis rebus deliberare cæperunt. Reliquiæ quartadecimanorū extinctæ: fixa omnibus dies Paschatis celebrandi, juxta decretum Victoris Papæ: Meletii schysma compositum: Ecclesię regimen firmatum: Primatus Romani Episcopi promptior, & clarior factus: Patriarcharum dignitas, atque potestas ad veterem normam definita: Aliarum Ecclesiarum statuta jura. Tùm Ecclesiæ disciplina omnis restituta: Religio tota composita, & reddita decori suo. Denique omnibus ritè sanctissime-

que peractis, Sancta Nicæna Synodus perfecta, atque soluta est. Tùm Nuntii volavere: sparsæ per omnes Mundi plagas literæ: vulgata ubique fama. Scripserunt Patres ad Ecclesias Synodicè; legati scripserunt; scripsit etiam Constantinus; ut de omnibus, quæ in Concilio acta essent, Orbis terræ universus, in tanta rerum expectatione cupidissimus, edoceretur. Sed indiscreta sæculorum ædacitas, & sacrilegæ Arianorũ manus, ita deinde in ejus Concilii monumenta irruerunt, ut de tot literis, deque tot Sanctionibus, vix lacera quædã vestigia posteritati reliqua fecerint. Ex litteris.

116. Tres tantùm superesse videntur: duæ Constantini; una totius Concilii. Prima Constantini (quæ omnis ferè in ratione Paschatis celebrandi versatur) ad Ecclesias universim, altera, (quæ tota de Arianismo est) ad Alexãdrinam Ecclesiã speciatim inscribitur. Tertia verò ad eosdem Alexandrinos ab ipsa est Nicæna Synodo data. Alia quædam, quæ circumfertur Epistola ad Silvestrum, ab Osio aliisque legatis, Patribusque Nicænis data, certiorem fidẽ desi-

desiderat. Decreta plurima, sanctiones, Canones, aliaq; Nicena instituta innumera, ferè omnia interiere. Viginti Canones græcè editi, quos præ manibus habemus, nec ipsi inviolati supersunt. Sextus eorum Canon truncus est, atque mutilus: geminus alius, de appellatione ad Romanam Sedem, cujus apud *Zozimum* Papam aperta mentio est, abrasus penitus. Sed ex Concilii Nicæni constitutionibus, velut ex promptuario, plures Ecclesiæ collectiones quasdam canonum sibi sumpserant, ad quorum normam Ecclesiasticam disciplinam componerent; & quos Nicænos jure vocabant; nam vel Nicæni ipsi erant vel ex Nicænis profecti: Itaq; suam Arabes, suam quoque Græci habuere: sed præter græcam, quam diximus, Arabicam etiam collectionem divina quidem Providentia servavit; industria verò Patris Turriani latinitati restituit: quam Arabicam Nicænorum canonum collectionem nemo prudens rerum æstimator parvi fecerit. Sunt qui versiculum *Gloria Patri*, ejusque versiculi postremam partem: *Sicut erat in principio*; usū quoque Epistolarum, quas olim *forma-*

tas vocabant, earumque curioſam, enigmaticamque conſtructionem, ab ea Sancta Synodo manaſſe putent; ſunt ité, qui tradant, diſputationes de Chriſtianorum Religione à Nicænis Patribus cum Idolorum cultoribus fuiſſe initas, ac ethnici cujuſdam Philoſophi arrogantiam ab uno Chriſtiano ſolitario, nudâ ſimplicique fidei expoſitione, fractam fuiſſe, atque contritam; ſed earum rerum fides ſit apud Authores. Hæc autem innuiſſe, ſit ſatis de Nicæno Concilio Magno: ad alia minora, illorum temporum Concilia, atque Conciliabula deſcendamus.



CAPUT



CAPUT QUINTUM.

De aliis ejusdem temporis Conciliis, atque Conciliabulis in oriente celebratis.

117. O quinquaginta, & sex annorum spatio, quod inter Nicænum Concilium, & Constantinopolitanum generale secundum interfuit, præter Nicænum ipsum, alia multa Catholicorum concilia; Hæreticorum verò plura conciliabula in Oriente celebrata fuere. Ex his concilia primùm quædam mox conciliabula eodem, quo acta sunt ordine paucissimis indicabo.

Con-

Concilia ritè congregata.

118. UNdecim Conciliorum mentionem quambrevissimè faciendam suscipio, quæ sunt ejusmodi. Antiochenum, Alexandrinum, Sardicense, Hierosolymitanum, Alexandrinũ aliud, Alexandrinum tertiũ, Tyanense Antiochenum aliud, Alexandrinum item quartum, Antiochenum ter tium, ac demùm quartum.

119. ANTIOCHENUM primùm à Concilio Nicæno magno, celebratum est Antiochiæ * anno 329. sub Sancto Silvestro Papa, & Constantino Imperatore: fuit provinciale, convenientibus Episcopis Antiocheni Patriarchatus, quos magnus Eustathius Patriarcha, ea causa convocavit, ut occurreret novis machinatiõibus, quas moliebatur Eusebius Nicomediæ, post quam exilio solutus fuerat. Eo in Concilio firmata est Nicæna fides, instructique fideles, ut Eusebianos angue pejus caverent: aliud præterea nihil, eo in Concilio actum invenio. Hoc omne conjicitur ex (1) Theodoreto, (2) Athanasio, (3) atque Chrysostomo.

Anno 329.

(1) *Theodoret. lib. 1. c. 7.*
(2) *Athanas. ad Solitar.*
(3) *Chrisost. hom. 52. in Eustha. to. 1.*

ALE-

120. ALEXANDRINUM (1) item à Nicæno primum, celebratum est Alexandriæ * anno 339. sub S. Julio Papa, Constantio Imperatore, & Sancto Athanasio ejus urbis Patriarcha; Episcopi ex Lybia, Pentapoli, & Ægypto (quæ Provinciæ sub Alexandrino Patriarchatu erant omnes) centum ferè numero convenere; quamvis Sardicense Cōcilium, cum hujus Alexandrinæ Synodi per occasionem meminisset, octoginta dumtaxat memoret. Causa quamobrem convenerunt, fuit ejusmodi. (3) Per illud tempus, Romæ in supremo Ecclesiæ Tribunali apud Juliū Pōtificem, de Sancto Athanasio Patriarcha Alexandrino, deque Eusebianis quæstio pendebat. Eusebius Nicomediensis, Maris, Theognis, Ursacius, Valens, aliaque prima capita Arianorum ad eundem Papam Julium ob eam causam legaverant Macarium quemdam Presbyterum, Martyrium, & Hesichium Diaconos, omnibus machinis instructos adversus Athanasium; Athanasius contra, Presbyteros aliquot pro se quoque illuc miserat. Hoc ubi rescivere, quos diximus, Episcopi Libyæ, Pentapolis, & Ægypti, Pa-

(1) *Athanas. Apol.* 2.
(2) *Athanas. ad Afric.*
Anno 339
(6) *Athanas. Apol.* 2.

Patriarchæ ſui partes ſuſcipiendas ſibi putarunt; ejuſdemque defenſionem minimè negligendam. Quare innocentiam Athanaſii Julio teſtatam facere, & Romam documenta mittere ſtatuerunt, quibus oſtenderent Euſebianorum ſicophantiam, execrandaſque calumnias: ob eam rè Synodicè convenere, rati majus pondus futurum teſtimonio, quod à Synodo proficiſceretur. Hæc cauſa illius Provincialis Concilii. Propterea nil in eo factum invenio; niſi ſcriptam ſynodicè Epiſtolam apologeticam pro Athanaſio, contra Euſebianos. Quam Epiſtolam Patres illi cùm in primis ad (1) Julium Papam, tum ad alias miſerunt Eccleſias, præſertim Occidentales, quarum Epiſcopos, ab eodem Julio, Romam ea cauſa convocandos fore intellexerant. Epiſtola integra recitatur ab Athanaſio. Hic obiter notet lector Orientalis, ut ea Synodus, & Patriarchatus omnis Alexandrinus, & ipſe in primis Patriarcha Athanaſius, ſimul Euſebiani, aliique Orientales, Romanum Epiſcopum, ut ſupremum ipſorum Judicem appellaverint.

(1) *Athanaſ. Apolog. 2. ſtatim poſt eam epiſtolam recitatam.*

121. Sardicense Concilium æcumenicum

nicum celebratum eſt (*) non ſardis in Aſia, ut nonnulli falsò putarunt, ſed Sardicæ quæ civitas eſt in Illyria, inter confinia Occidentalis, & Orientalis Imperii; Id Concilium Conſtans promovit; Conſtantius, Fratris causâ, procuravit; ſed Julius Papa indixit, conveniendi die vocatis Epiſcopis conſtituta. De numero Epiſcoporum Sardicenſium ſatis incerta ſententia eſt: alii tercentos; alii nonaginta memorant; ſed neutra opinio vero ſimilis mihi videtur eſſe; medius aliquis numerus eſſet ſtatuendus; quem tamen, inter antiquitatis rudera, invenire minimè potui. Quinque ſupra triginta numerantur Provinciæ, unde ea multitudo profecta eſt, partim ex oriente, partim ex occidente. Convenere Patres anno Reparatoris 347. ſub Julio Papa, Conſtante, atque Conſtantio Imperatore. Concilii cauſa omnis revoluitur ad quæſtionem de Athanaſio, Marcello Ancyrano, & Aſclepa Gazenſi, quos Euſebiani contra jus faſque omne exturbaverant, Julius Papa reſtituerat: Eâ causâ mota eſt Synodus; eâ causâ inita, atq; in eadem cauſa tota ferè conſumpta. Euſebiani numero 75.

Anno 347.

Sar-

Sardicam ęgrè venerunt;ſed ibi ab aliis Patribus diviſim habitarunt; nec unquā induci potuerunt, ut in Concilii ſocietatem venirent; inanes prætextus obtendentes,re vera, quòd ſibi timerent, ac ſuæ cauſæ diffiderent. Tum deſperata Euſebianorum præſentia, Patres ſine illis Concilium ritè, & ex Canone celebrarunt. Athanaſii, Marcelli, & Aſclepæ reſtitutionem à Julio factam confirmarunt. Arianos Epiſcopos adulterinos depoſuerunt. Fidei formulam edidere nullam; ratam, integram, inviolatamq; Nicænam habentes, atque habendam ab omnibus ſtatuentes. Ad extirpandos malos, & inſolentes mores ab Arianis in Eccleſiam inductos, canones quoſdā inſtruxere; ex quibus apud Latinos 21. apud Græcos viginti ſuperſunt. Sed tres præſertim canones ediderunt, ut Romanæ ſedi ea jura firmarent, quæ labefactare tentaverat Euſebianorum inſolentia; nam quòd hi auſi fuerint carpere Athanaſii, Marcelli, aliorumq; appellationē ad Julium Papam; eâ cauſâ Cōcilium tertio Canone declaravit, Epiſcopis ex omni Mundo Romanam Sedem appellare licere: Item quod non du-

dubitaverint, inconsulto Romano Episcopo, in Sedem Athanasii Gregorium intrudere; Concilium pariter quarto expressit Canone, nefas esse, delato Episcopo alium subrogare, ante latam de illa re à Romano Pontifice sententiam. Quinto etiam Canone, Authoritas supremi Judicis Romano Episcopo asseritur. Hinc etiam incipiat orientalis lector animadvertere, Oritẽalis Ecclesiæ qualis fuerit opinio de potestate Romanæ Sedis. Sardicensi Concilio præfuit Osius, geminique alii Julii Legati Archidamus, & Philoxenes. Ipsi etiam Athanasius, Marcellus, & Asclepas interfuerunt, omnibus honoris significationibus à Patribus excepti, cujus rei causâ maximè urebantur Eusebiani. Omnes, quos diximus Sardicenses Canones, ubique recepti sunt. Græci præsertim illos receperunt in Trullana Synodo, Constantinopoli habita sub Justiniano juniore Pogonati Constantini filio. Extant etiam Sardicenses Canones eo in Codice, quo vulgò Oriẽtales utuntur: tum apud quandam Græcorum Canonum collectionem in 50. titulos distinctam, quæ Theodoreto

tri-

tribui ſolet. Tum quoque in collectionibus Arſenii monachi, Alexii Ariſtini ac Simeonis Logotetæ. Eorundem demùm Sardicenſium Canonum Photius ipſe meminit, in ſuo nomocanone; quāvis deinde, immemor ſui, alibi neget eoſdem Conſtantinopoli unquam vidiſſe. Concilium Sardicenſe æcumenicum certè fuit; ſed æcumenicorum Conciliorum non auget numerum, eam ob rem, quod vix aliud à Nicæno magno exiſtimetur; nam hujus veluti appendix fuiſſe creditur, atque ad ejuſdem confirmationem omnia illius acta revoluebantur; nec alia, in eo, fidei formula eſt conſtituta; unaque fuit Nicænorum, ac Sardicenſium Patrum mens, cura, atque voluntas. Verùm ſatis de Sardicenſi Concilio.

122. Ariani, qui concilio adeſſe repugnarunt, Philippolim ſeceſſere, numero 70. (nam alii quinque execrantes reliquorum perfidiam Concilio ſe adjunxere) ibique Conciliabulum inſtituerunt, in quo hæreſim cōfirmarunt, renovarūt maledicta in Julium Papam, Athanaſii reſtitutorem; priora ſcelera omnia deterius cumularunt. Quæ dein-

de

de acta nefaria, ſub arrogato nomine Sardicenſis Concilii, ſparſerunt in vulgus, ac præſertim in Africam miſerunt ubi Auguſtinus ea vidit, & vehementer eſt execratus.

123. Hierosolymitanum (1) Concilium provinciale, ſexdecim dumtaxat Epiſcoporum, ex Paleſtina Provincia, quos S. Maximus tunc Hieroſolymorũ Anitiſtes convocavit, celebratum eſt Hieroſolymis (*) anno 349. ſub Julio Papa, & Conſtantio Imperatore: cauſa illius incundi unica fuit Patribus, ut Athanaſium in ſedem ſuam octo poſt annos reducem, & illàc tranſeuntem gratulatione ſimul, & fidei ſocietate complecterentur: neque aliud quidquã eo in Concilio actum fuiſſe memoriæ proditur. Ea Synodus de Athanaſii reditu gratulata eſt Alexandrinæ diæceſi per Epiſtolam, quam dedit ad Eccleſiam Alexandrinam, ſimul ad Epiſcopos omnes Ægypti, atque utriuſque Libyæ.

(1) *Athanaſ. Apol. 2. & ad Solit. Socrat. lib. 2. c. 19.*

Anno 349.

124. Alexandrinum (à tempore Nicæni) ſecundum, celebratum eſt (*) anno 362. ſub Liberio P. & Juliano Apoſtata Imperatore; hujus Concilii author

Anno 362.

fuit Athanasius Magnus; qui Constantio è vivis sublato, occisoque ab Idolorum cultoribus Georgio Alexandrinæ Sedis invasore, tertiò redux, subjectos sibi Episcopos convocavit: eâ scilicet gratiâ, ut Religionem sus deque per Arianos turbatam, integritati suæ restitueret: qua in re hortatorem etiam habuit Sanctum Eusebium Vercellensem, qui per illud tempus, Ægyptiaco exilio una cum Lucifero Calaritano solutus, in Oriente versabatur. Pauci quidem Episcopi in eam Synodum cojere; nec viginti numerum excesserunt; sed sanctitate, ac sapientia præcellebāt. De lapsis in hæresim Arianam, & pænitentibus recipiendis mitissimè, ac sapientissimè decreverunt. Divinitatem, & consubstantialitatem Sancti Spiritus statuerunt. Sabellium, Basilidem, Valentinum, Manichæos, præter Arianos, & Semiarianos gravi certoq; ictu percusserunt: turbas etiam Ecclesiæ Antiochenæ composuerunt. Motam multò antè quæstionem de voce *hypostasis* extinguere studuerunt: notarunt etiam Apollinaris nascentem pestem, & furtim jam inde, doloso quodam contagii

gene-

genere ſerpentem: aliaque adeò præclara conſulta edidit ea Synodus, ut inter celeberrima Eccleſiæ Concilia, jure meritoq; cenſeatur. Adfuere inter ejus Concilii Patres, idem, quē nuper dixi S. Euſebius Vercellenſis, S. Aſterius, & pro Lucifero Calaritano gemini Diaconi Herennius, & Agapetus; duo item à Paulino miſſi Maximus, & Calimeres. Ex Athanaſii Epiſtola ad Ruffinianum, quæ extat in actis Nicæni Concilii ſecundi docemur, ejus Alexandrinæ Synodi decreta, Romam à Patribus fuiſſe tranſmiſſa, quò Romanæ Sedis authoritate firmarentur: Adeò de Romani Epiſcopi poteſtate apud Orientalium præſtantiſſimos ſententia conſtans, perpetuaque fuit.

125. Alexandrinum (à tempore item Nicænæ Synodi) tertium Concilium celebratum eſt (*) anno 363. ſub Liberio Pontifice, & Joviano Imperatore in Alexandrina urbe, ab (1) Athanaſio Magno; cui duplex ejus ineundæ Synodi cauſa extitit; ut Joviano piiſſimo Imperatori, ob pacem Eccleſiæ reſtitutam, gratię Synodicè agerentur: utq; de Concilii ſententia, ſinceriſſima fidei regula *Anno 363.*

 ſcri-

ſcriberetur, quam eidem Auguſto petenti, ejus Concilii nomine mitteret: Epiſtola Synodica Athanaſii ad Jovianum extat apud Theodor.

126. Eodem anno, atque ob eandē cauſam, aliud Antiochiæ celebratum Concilium fuiſſe proditur; cui præfuit S. Meletius: interfuere 27. Epiſcopi, inter quos SS. Euſebius Samoſatenus, Pelagius Laodicænus, Irenion Gazenſis. Hæc etiam Synodus miſit ad Jovianum expoſitionem Nicænæ fidei; quæ aliquibus ſuſpecta fuit, quòd in ea *conſubſtantialis* vox deſideraretur: ob quā etiā cauſam, S. Meletii fides ancipiti fama in Oriente ſimul, & Occidente tunc apud nonnullos laboravit.

127. TYANENSE haud obſcuræ famæ, Concilium, celebratum eſt Tyanæ, (*) quæ Civitas eſt Cappadociæ in radice poſita Tauri Montis, (1) anno 365. ſub Liberio Papa, & Valente Imperatore: huic Concilio iidem ferè Patres interfuere, qui nuper memoratam Synodum Antiochenam, ſub Joviano celebraverant, cauſæ illos ejuſmodi ad id Concilium compulerunt: ut ab Ariminenſis pernicie Orientalium animos prohiberent,

Anno 365.

Sozom. lib. 6. cap. 12.

rent, simul ut fidei regulam ab Liberio Papa, & Occidentalibus uulgatam eorundem Orientalium animis insererent. Hoc idem Concilium, jubente Liberio (1) Papa, in communionem recepit, atque sedi suæ restituit Eusthatium Sebastenum, cujus inferiùs frequens occurret mentio. Extat Epistola (2) Basilii Magni ad hanc Tyanensem Synodum data, qua pacem cum Eusebio Episcopo Cæsareæ, sanctissimè videtur exposcere. De Tyanensi Synodo vide Baronium tom. 4. Annal. ad annū 365.

(1) *Basil. Ep. 74.*

(2) *Basil. Ep. 79.*

128. Alexandrinum Concilium, ab eo tempore quartum, initum memorant (*) anno 368 sub Damaso Papa, & Valente Imperatore. Causa hęc fuit. Sanctus (3) Damasus Papa per idem tempus, Synodo Romam convocata, Ursacium, atqne Valentem (4) damnaverat; eaque de re ad Alexandrinam Ecclesiam conscripserat. Acceptis à Romano Episcopo literis, Athanasius ditionis suæ Episcopos convocandos sibi duxit, quibus cum easdem supremi capitis literas communicaret, simulque deliberarent de iis, quæ rescribere oporteret:

Anno 368.

(3) *Athanas. ad Afros. pag. 931.*

(4) *Id. ibid. pag. 941.*

eâ tantùm causâ hæc adornata, initaque est Synodus. De numero Episcoporum satis mihi non constat. In eâ, quam dixi deliberatione tota consumpta est.

(1) Id. ibid. Theodore. l. 2. cap. 17.

(1) Rescripsit Damaso in hanc sententiam: Gratias egit, quod Ursacium, & Valentem percusserit: simul rogavit, ut Auxentium quoq; Mediolanensis Episcopatus usurpatorem, perfidiæ, aliorumque criminum reum notaret, usurpatâque sede moveret; per aliam item Epistolam, (2) Africanos hæc Synodus hortata est Episcopos, ut arctissima sententiarum, animorumque conjunctione, communique Religionis studio obviam irent sceleratis eorum inceptis, qui Ariminensis conciliabuli perfidiam in Africanam Ecclesiam infundere moliebantur.

(2) Godefroy Herm. V. Athan. t. 2. l. 11. cap. 12.

Anno 372.

129. NICOPOLITANUM in Armenia Cōcilium, initum invenio (*) anno 372. sub jisdem Damaso Papa, ac Valente Imperatore: de quo illud affirmare dumtaxat mihi licet, quòd ibi S. Basilius Magnus interfuerit: de numero Patrum; de causa, de rebus in eo gestis nihil certi ausim statuere.

130. ANTIOCHENUM, aliud præter memorata

morata, proditur Antiochiæ habitum (*) anno 377 Damaso pariter Ecclesiam, & Valente Imperium administrantibus; cujus causa extitit, triplex illius miseræ urbis divortium, tribus eodem tempore ibidem existentibus Episcopis, Meletio, Paulino, atque Vitali Apollinarista. *Anno 377.*

131. Antiochenum ejus temporis Concilium ultimum, celebratum est Antiochiæ anno 379. nono mense ab obitu S. Basilii Magni, sub Damaso Papa, & Gratiano Occidentis Imperatore, (qui, non dum Theodosio renuntiato, Orientis quoque Imperium, interim administrabat.) Celeberrimum sane id Concilium habetur; ad quod ex omni Oriente Episcopos confluxisse memorãt: idemque terminus veluti statuitur, ubi tumentes fluctus suos confregerit ariana tempestas. Causa cur in eam Synodum Orientales cojuerint, ejusmodi fuisse videtur: Sublato Valente Imperaratore Ariano, restituta pax fuit Ecclesiis, per Gratianum optimum Principem: ea pace usus S. Damasus Papa, Concilium Romæ instituit, quo in Cõcilio, contra infinitam hæresum collu-

 vionem

vionem fidei regulam, aptam temporibus edidit, in quam unam Ecclesiæ toto Orbe diffusæ respicientes *idipsum saperent, atque dicerent*: tum eam regulam (1) misit in Orientem, jubens, ut Orientales Antistites in Synodum aliquam convenietes, eandem omnes subscriberent, & amplectarentur; simul darent operam, ut Orientis ambitus omnis, in illam sincera animorum conspiratione coiret, adornatis ad eam rem legationibus prout loca, & tempora postularent. Ob hanc causam Antiochiam convenientes, Episcopi ex Oriente universo, regulam fidei à Damaso missam subscripsere omnes: ita subscriptam iterum ad Damasum reddiderunt, ejusque autographum exemplar in Archivio Romano servatur. (2) Legationes adornarunt quatuor; quæ totum sibi diviserunt Orientem, quem ad normam Romanæ regulæ temperarent, atq; componerent. S. Eusebio Samosateno legatio demandata in Syriam, & Mesopotamiam: S. Gregorio Nazianzeno Constantinopolis obuenit: S. Meletius Patriarcha Antiochenus Apapæam, Ciliciam, & Monachorum solitudines suscepit

(1) *In Colle- Conc. p. 1. in Conc. Romano sub Damaso frag. Epistola ejusdem Dam. ad Orient. pag* 176 177.

(2) *Theodore. lib.* 5. *c.* 4.

cepit: Sanctus Gregorius Nissenus Hierosolymam ac Palestinam. Inter Episcopos 146. qui ei Concilio adfuerunt Sancti Viri memorantur hujusmodi: Sãctus Gregorius Nazianzenus, Sanctus Gregorius Nyssenus, Sanctus Eusebius Samosatenus, Sanctus Meletius Antiochenus, Sanctus Pelagius Laodicenus, Sanctus Eulogius Edessenus, atque alii plurimi sanctitate insignes Episcopi. Multa præterea, ab illa Synodo, præclara statuta manasse ferunt: verùm, quod mirum est, illorum ne vestigium quidẽ videtur superesse.

Constantinopolitanum Generale secundum celebratum est anno 381. sub Damaso Papa, & Magno Theodosio Imperatore: sed id Concilium meta est præsentis laboris nostri; & extra veluti positum. Ejusmodi autem fuere Catholicorum Concilia eo tempore in Oriente celebrata; quæ cursim tetigisse non abs re fuisse arbitror; mox Hereticorũ Conciliabula velociori calamo perstricturus.



Con-

Conciliabula.

132. CONciliabula longè plura fuere, in quæ identidem Hæretici, Arii præſertim de grege, per illud tempus in Oriente coibant. Memorantur magis tredecim. Horum duo Antiochiæ fuere inita: tria Conſtantinopoli: unum Tyri: unum Hieroſolymis: unum Philippopoli: Ancyræ duo: unum Seleuciæ. Lampſaci aliud: cœtera conventicula non pauca prçſtat ſuis tenebris obvoluta relinquere.

133. ANTIOCHENUM conciliabulum ex duobus primum, dolo malo convocavit Euſebius Nicomediæ (*) anno 330. Sedente Silveſtro Papa, Conſtantino Imperante: pauci admodùm Arianorum convenerunt; qui Euſebio ductore, ſanctiſſimum Patriarcham Antiochenum Euſthatium, Sabellianiſmi, atque adulterii per nefariam calumniam inſimulatum, Antiochena ſede indignũ in modum exturbarunt. Hoc uno in ſcelere conciliabulum hoc Antiochenum eſt revolutum.

Anno 330.

134. TYRIUM Conciliabulum famoſiſſi-

ſiſſimum celebratum eſt (*) anno 335. Anno 335.
ſub jiſdem Silveſtro Papa , & Conſtantino Imperatore. Ad id conventiculum immenſus Epiſcoporum numerus confluxit. Ejus convocandi, petentibus Euſebianis copiam fecit deceptus Conſtantinus. Cauſa Euſebianis extitit unica, Athanaſium ut perderent. Eccleſiæ regula nulla ibi valuit. Dionyſius comes cum armatis aderat, vi, & metu omnia miſcens: Arianorum arbitrio agitata omnia. Athanaſius eo in malignantium conventu falſis criminibus circumventus, ab jis omnibus divina quadam ſapientia ſe expedivit. Nihilominùs lata in illum ſententia fuit; ipſe paulò poſt in Galliam exul actus. Indigna memoratu, atque iniqua omnia eo in conventiculo acta ſunt. Quod tamen Tyrium conciliabulum Hæretici cum Niceno Magno Concilio conferre, eiq; opponere auſi ſunt.

135. HIEROSOLYMITANUM conventiculum Arianorum, eodem anno initum Anno 335.
fuit, Conſtantini juſſu, per occaſionem ænceniorum; ab jiſdē Euſebianis Tyrii Conciliabuli: receptus ibi in Eccleſiæ ſocietatem Arius, Euſebianorum ſuffragio,

gio, reclamantibus Catholicis, invito Deo.

136. CONSTANTINOPOLITANUM Conciliabulum, primum ex tribus, habitum edunt (*) anno 336. Marco Papa, & Constantino Imperatore, in causa Athanisii atq: Marcelli Episcopi Ancyrani, quē rectè, tempore illo, sentientē de rebus fidei, Eusebiani eo in Conciliabulo damnarunt, ac Episcopatu moverunt. Repetat lector, quæ de Conciliabulis Tyrio, Hierosolymitano, & Constantinopolitano capite primo retulimus numero 7. 8. 9.

Anno 336.

137. CONSTANTINOPOLITANUM ex tribus alterum, jussu Constantii celebratum est novæ Romæ anno 339, sedente Julio Papa, ab Episcopis plurimis Orientalibus Ariana peste aut imbutis, aut tinctis. Totum ejus Conciliabuli negotium fuit, depositio Sancti Pauli ejus urbis Episcopi, & subrogatio Eusebii Nicomediensis.

Anno 339.

138. ANTIOCHENUM Conciliabulum ex duobus alterum, initum est ab Eusebianis (*) anno 341. sub Julio Papa, & Constantio Imperatore. Episcopi triginta numero convenerunt, Ariani ferè omnes

Anno 341.

omnes: causa conveniendi fuit dedicatio Templi celeberrimi, quod ab auro multo Dominicum aureum vocabatur. Cui Templo, Antiochiæ Constantini jussu ac liberalitate fundato, Constantius per illud tempus supremam manũ imposuerat. Id Conciliabulum, ob admissa ibi scelera inter famosissima haberi solet. Eorum quæ ibi Eusebiani miscuerunt hæc est summa. Quatuor fidei formulas fabricarunt, veteratorias, subdolas, ad consubstantialitatem tollendam spectantes de quibus fidei formulis diximus cap. 1. n. quadragesimo septimo. Athanasium, cujus sub Romano Episcopo supremo Judice causa erat, per inauditam insolentiam deposuerũt. In ejus locum Gregorium, quem sæpe memoravimus, mortalium scelestissimum ordinarunt. Julio Papæ, illos Romam vocanti, primùm dolosè, mox superbè, demùm impiè repugnarunt. Hoc Conciliabulum cavea veluti fuit, unde primum ea pestis erupit, quæ contra Primatum Romani Episcopi, tanto nunc strepitu, tantaque ruina grassatur. Canones, qui hujus Concilii nomine in collectionibus inveniuntur; nomen quidem

dem ab illo;authoritatem verò aliunde deducunt. Vide hac de re Baron. Repetenda hic etiam forent quæ de hoc infami conciliabulo diximus primi capitis numero 18.ac 19.

139. PHILIPPOPOLITANUM,sive Sardicēse Conciliabulum injerunt septuaginta Eusebiani,qui ad SardicenseConcilium vocati,Sardicā cum pervenissent,seorsū à Catholicis habitarunt,nec induci unquam potuerunt, propter conscientiam scelerum, ut Concilio ritè se sisterent, ac demùm Philippopolim secesserunt, ubi conventiculo instituto, Arianam perfidiam instaurarunt; maledicta quoque in Julium Papam jecisse feruntur, & fidei aliam formulam dolis consutā ediderunt, quam sub Sardicensis Concilii mentito nomine sparserunt præsertim in Africam. Initum est ejusmodi
Anno 347. Conciliabulum anno 347. Julio Ecclesiam, Constantio Imperium administrante. Relegantur dicta num. 33.

140. ANCYRANUM primum ex memoratis duobus, celebratum traditur anno
Anno 338. 338.(*)cum LiberiusPontificatum,Cōstantius Imperium gereret, ab Semiarianis, Ancyram in Galatia convenientibus

tibus, contra Anomæos, sive Arianos meros, sive Aëtianos, sive Troglitas, aut Trogloditas: sub hoc enim numeroso prænominum apparatu, primogenita Arii blasphemia eo tempore ferebatur.

141. Seleuciense Conciliabulum, quod unum ferè cum Ariminensi fuisse creditur, agitatum est Seleuciæ in Isauria (*) anno 359. Liberio Ecclesiam, & Constantio Imperium moderantibus. *Anno 359.* Ducenti ferè numero, in id conventiculum Episcopi cojere, omnes Orientales, ferè omnes hæretici, mistis Semiarianis cum Arianis meris; in quorum perpetua desperatàque inter se concertatione, congregatio illa taurorum tota consumpta est. Hujus conventiculi specimen capite primo exhibuimus nu. 48.

142. Constantinopolitanum tertium conventiculum Eunomianorum, agitatum fuisse accepimus in eadem Constãtini urbe (*) anno 360. Liberio Papa, & Constantio Imperatore: causa, & cura ejus Conciliabuli duplex fuit. *Anno 360.* Altera promovere Ariminensem formulam, atque perfidiam: altera conterere Semiarianos.

140. Lam-

143. Lampsacenum Conciliabulum iniere Macedoniani, cùm Liberius ad Ecclesiæ clavum sederet, & Valens Orientem imperio premeret (*) anno
Anno 365. 365. Lampsaci, quæ urbs erat in Hellesponto posita, sub exarchatu Heracleensi; cujus exarcha Hypatianus primas egit in eo Conciliabulo. Damnata ibi Ariminensis formula: Anathematizatus Arianismus merus: recepta formula Antiochiæ composita, & signata Seleuciæ: confirmata hæresis Macedoniana, quæ per occasionem ejus conventiculi fusa est per Hellespontum. In id conciliabulum profectus famosissimus Sebastenus, Romanæ Sedis illusor, eo in itinere ad Magnum Basilium divertit, qui cum Sebasteno prolixos de fide recta sermones produxit, sed quem fructum inde tulerit Sebastenus incertum est.

144. Ancyranum alterum, conciliabulum Arianorum, agitatum fuisse tra-
Anno 374. dunt (*) anno 374. Ancyræ in Galatia Damaso Papa, & Valente Imperatore. Id Conciliabulum iniri jussit Demosthenes quidam, Imperialis culinæ præfectus, Vicarius præfecti Prætorio, ho-

mo


mo rudis, rerum Christianarum ignarissimus, Arianorum studiosus, hostis Catholicorum: qui Magnum Basilium omni genere insectationum per illud tempus exercuerat. Hic Demosthenes Ancyrana Sede Hypsium laudatum Episcopum exturbavit; in cujus locum infudit Ecdicium, qui statim Gangrensi Basilidi Ariano accessisse proditur: atq; ea res, ejus conciliabuli totum, credo, negotium fuit. Adfuit Ancyrano conventiculo fraudolentus Sebastenus, à quo etiã, Ecdicium ad alienæ sedis invasionem promotum fuisse, scriptores edunt.

145. Nyssenum demùm conventiculum Arianorum, idem, quem nuper diximus, hostis Catholicorũ Demosthenes Nyssam convocavit, (*) anno 375. Damaso pariter Pontifice, atque Valente Imperatore. Ibi Ariani, Sancto Gregorio Nysseno, quem paulo ante idem Demosthenes exulem egerat, injuriam exilii nova sententia confimarunt: in quo scelere Nyssenum conventiculum totum est revolutum.

* *Anno* 375.

146. Sed præter memorata Hæreticorum Conciliabula, alia etiam non

pauca eo tempore, per Orientem agitabantur; ſed quoniam in jis nihil memoriâ dignum invenio, ſuis tenebris obvoluta relinquo. In Occidente pariter, ea tempeſtate, conventus frequentiſſimi cojere. Concilia multa, plura conciliabula memorantur. Inter occidentalia, ejus temporis Concilia, ea magis celebrant memoriæ veteres, quæ plura Romæ fuerunt inita, ſub Silveſtro Papa, ſub Julio, ſub Damaſo: Inter Conciliabula verò, famoſiſſimum habetur Ariminenſe, cujus breve ſpecimen capite primo exhibuimus. num. 48. Tum etiam nominantur tria Sirmii habita; duo contra Photinum, tertium ubi Liberius, & Oſius cecidiſſe feruntur. Mediolanenſe item, Arelatenſe ubi cecidit Vincentius Capuæ, atque alia paſſim in Gallia, Italia, atque Dalmatia. Verùm hæc ſatis de illius temporis Conciliis atq; Conciliabulis.



CAPUT



CAPUT SEXTUM.


De viris sanctitate illustribus, qui eo tempore in Oriente floruerunt.

147. Er ea tempora Orientalem Ecclesiam in duplici aspectu collocaverant, duę veluti partes: Hæreticorum una; altera Catholicorum: si ad illam partem oculos conjiciat lector, mala fædaque omnia; si ad hanc verò partem mentem advertat, omnia magna, egregiaque occurrent animo. Ita Orientalis Ecclesia (quod maximè divinam Providentiam declarat, atque commendat) quo tempore misera, afflictissimaq;eodem lõgè florẽ-

tissima, atque præclara fuit. Sub tristi malorum facie illam hactenus exhibuimus; ordo ratioque postulat, ut sub læto mox atque magnifico sanctitatis aspectu eandem exhibeamus.

Et ea quidem, per illud tempus, Sanctorum Orientalium extitit multitudo, ut certo definitoq; numero illos complecti minimè queam: ætas certè nulla, ab Apostolorum temporibus, aut plures, aut majores tulit. Ex his aliquot quos magis nominatos invenio commemorabo, eorumque nomina, & præcipua quædam gesta dumtaxat proferam, si enim aut narrare vitam, aut acta omnia referre velim, libellus hic in bibliothecam excresceret.

In primis eo spatio temporis simul vixere Athanasius Magnus, Gregorius Nazianzenus, Magnus Basilius, & Joannes Chrysostomus, Doctores maximi, Christianæ Religionis columnæ, atque preclara nomina Orientalis sanctitatis & gloriæ.



De

De Athanasio Magno.

148. SANCTUS ATHANASIUS natus est Alexādriæ anno 295. ut probabilior fert opinio: sub annū 319 Diaconus creditur ordinatus. Anno deinde 325 Concilio Nicæno adfuit. Anno 326. Episcopus renunciatus, Alexādrinam sedem obtinuit. Quater indè pulsus; primùm anno 335 à Constantino in Galliam: iterùm anno 341 sub Constantio. Tertiò, anno 356 sub eodem Imperatore. Quarto demùm anno 362 sub Apostata Juliano. Quater etiam Romam venit: bis spontè: bis à Pontifice Julio vocatus: Semel anno 340 iterùm anno 341: quo tempore ab eodem fuit Pontifice judicatus atque absolutus. Anno deindè 370 pro Ecclesiarum Orientalium pace restituenda cum Basilio per literas conspiravit. Denique reparatæ salutis anno 371, ætatis suæ 76, Episcopatus 46, Alexandriæ ubi natus fuerat diem obiit. Magnus Athanasius nec sanctitate priorem, nec animi magnitudine parem Episcopum habuit: Nam etsi cōcussus Terrarum Orbis

in unum ipsius caput ruere visus fuerit; illum tamen tantæ ruinæ impavidum ferierunt. Athanasii Magni vitam atq; res gestas ex primo hujus libelli capite meliùs lector cognoverit.

De S. Gregorio Theologo.

149. S. GREGORIUS NAZIANZENUS è Nazianzo, quę parva urbs erat in Cappadocia secunda (quam urbem alio nomine Diocæsaream vocatam invenio) natus est anno 328 sub Silvestro Papa, & Constantino Magno Imperatore: quo tempore S. Athanasius ætatis suæ trigesimum tertium, initi verò Episcopatus, secundum agebat annum. Anno 344 cùm Athenis operam studiis navaret, cum Sancto Basilio arctissimam injit cõsuetudinem. Anno 355 Athenis profectus una cum Basilio, in Patriã rediit. Anno 362 sacris initiatus Apologeticũ scripsit. Anno 371 invitus Sasimorum Episcopus à Basilio renunciatus est; cujus rei causa inter ipsum, & Basilium simultas quædam exorta, & Epistolæ utrinque missæ. Anno 379 profectus Constantinopolim, ibi profligato Aria-

Arianiſmo, Religionem reſtituit. Anno 381 renunciatus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, paulò poſt eo ſe abdicavit Epiſcopatu: eam nimirum ob cauſam, quòd pati non poſſet quãdam Orientalium multitudinem, quæ contra Paulinũ Antiochenum Epiſcopum, & arrogãtiùs ſupra Occidentales efferebatur. Eodem anno Conſtantinopoli diſcedens, primò Nazianzum, mox Cæſaream ſe contulit. Anno 382 Arianzum, qui locus haud procul Nazianzo diſtat, ſeceſſit; ibique curis publicis exemptus, beatæque otio ſolitudinis uſus, ad ſacros conſcribendos verſus animum appulit; quo etiam tempore carmen de vita ſua creditur compoſuiſſe. Anno demùm 389 ætatis ſuæ 61 ſub Siricio Papa, ac Theodoſio Imperatore, credo Arianzi, vitâ defunctus eſt.

De Magno Baſilio.

150. Sanctus Basilius Magnus natus eſt aliquot menſes poſt natum Nazianzenũ, eodem anno 328, ſub iiſdẽ Silveſtro Papa, & Cõſtantino Imperatore: patriam habuit Cæſaream princi-

pem Cappadociæ urbem, in radice ſitam montis Argæi, quam à Mozacho, authore Cappadocum, Mazam quondam ſive Mazacham dictam memorant. Anno 344 Athenas ſtudiorum cauſa profectus conjicitur, ubi Nazianzenum ſtudiis quoque navantem operam arctiſſima ſibi neceſſitudine adjunxit. Anno 335 cum Apollinari non dùm hæreſis manifeſto, conſuetudinem per literas injit. Anno proximè ſuccedente peregrinatus in Ægyptum, & Syriam, inde Monaſticam diſciplinam accepit, quam in Pontum intulit, & in Iboris monaſterio illuſtravit. Anno 362 ab Euſebio Epiſcopo Cæſareæ ſacris initiatus eſt: poſt annum inter ipſum,& eundem Euſebium Epiſcopum ſuſpicionibus, turbiſque natis, ejus rei causâ Cæſaream cum Ponti ſolitudinibus iterùm commutavit. Anno 366. Nazianzeni operâ cum Euſebio Epiſcopo in concordiam rediit. Anno 367 graſſante fame, largiſſimis eleæmoſynis pauperum neceſſitatibus preſto fuit. Anno 370 in Epiſcopatum Ceſareenſem,Euſebio vitâ defuncto,ſubrogatus, ad Eccleſiarum pacem reſtituendam

toto

toto pectore incubuit: conſpiravit cum Athanaſio: authoritatem Romanę Sedis à S. Damaſo Papa, ſæpiùs per litteras, imploravit. Anno 371 primùm contra Modeſtum, mox contra Valentem invicto animo ſtetit: eodem anno Nazianzenum conſtituit Saſimorum Epiſcopũ. Anno 376 legationes plures ad Pontificem Damaſum adornavit; atque ad eumdem detulit Euſtathium Sebaſtenum, Apollioarem, atque Marcellum, enixè petens, ut Romanæ ſedis judicio peſtes illæ publicè notarentur; quò in Oriente caveri poſſent. Demùm prima die anni 379. cum ætatis ſuæ quinquageſimum primum, Epiſcopatus verò nonum ageret annum, Cæſareæ clauſit extremnm diem.

Primordia S. Joannis Chryſoſtomi.

151. JOANNES CHRYSOSTOMUS nobili genere, Antiochiæ natus eſt anno 354, Patre Secũdo, Matre verò Anthuſa: quãvis ex Græcis nõnulli Publiam Matronã Chryſoſtomi parentẽ fuiſſe putẽt; ea fortaſſe cõjectura ducti, quòd Theodoretus, dum hac de Publia loquitur

Joan-

Joannis illam nominat Matrem. Adolescens Libanio dedit operam: inde ad forum; è foro in Eremum se contulit; ex Eremo in lectorem fuit adscitus Ecclesiæ Antiochenæ; tùm in Diaconatus ordinem ascendit: hoc autem erat in ordine, & octavum supra vigesimum agebat ætatis annum, quo tempore Concilium Constantinopolitanum generale secũdum celebraretur. Sed quoniam nos præsenti labori nostro, hoc in Concilio metam fiximus, Chrysostomus ætate, publicâque opera ultra excurrentem sequi non possumus: hæc pauca de tanto viro ad præsens libasse sat erit. Jam alios quosdam ex illustrioribus illius temporis Sanctis Viris, Ecclesiarum Orientalium ordine recensebo.

SANCTI EX PATRIARCHATU ALEXANDRINO.

Patriarchæ Alexandrini.

152. SANCTUS ALEXANDER vigesimus, Alexandrinæ Urbis Episcopus, post magnum Achillam Episcopatum

tum

tum gerere cœpit, ſub annum 313. Vir fuit ab omni parte laudis florẽtiſſimus: virtute, ſapientia, atq; ſtudio Religionis adeò clarus, ut *Magni* cognomentum jure obtinuerit. Arium, publicè nefariam peſtem eructantem, primus omnium, convocato concilio, diris devovit; & Eccleſiæ ſocietate privavit. Poſtquam ordinarij Judicis partes explevit, eundem Hæreſiarcham ad ſupremum Romæ Tribunal detulit; ad Silveſtrum(1) Pontificem ea de re datis litteris. Adverſus eundem Arium, ad omnes ubique Epiſcopos propè centum dedit Epiſtolas. Ex his ſeptuaginta, Epiphanij tempore, ut ab eodem accepimus, adhuc ſupererant; at duas Nobis tantùm ab injuria temporum ereptas, alteram Socrates, Theodoretus alteram ſervavere. Ad Concilium Nicænum gravi admodum ætate profectus, & Athanaſium, tunc Diaconum, comitem ſecum ducens, ibi quoque adverſus Arium egregiam navavit operam. Concilio ſoluto, vix Alexandriam reverſus, ætate atque labore confectus, anno 325 diem obijt. Moriens Athanaſium ſibi ſucceſſorem nominavit;

(1) *Bibliotec. Sanctor. tom. 9. Godefroy Hermãt. Vit. Athan. tom. 1. lib. 1. cap. 15. pag. 76. Baron. tom. 3. p. 191. n. 59.*

minavit; reluctantẽ adhortatus, ne oneri se subduceret. Eundem Athanasium Domi suæ puerum educaverat, atque in Ecclesiæ rebus egregiè instituerat. Adolescẽtem postea sacris initiaverat: demùm Episcopatus, virtutis, & Ariani odij reliquit hæredem; adeò ut magnum Athanasium, Magno Alexandro veluti debeamus.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, de quo diximus num. 148.

De Petro Episcopo Alexandrino Athanasii successore.

153. PETRUS Episcopus Alexãdrinus, vir fuit pietate, doctrina, & eloquentia clarissimus: illũ Athanasius sociũ perpetuò fidũ, in fuga comitem, in ęrumnis participem, in laboribus solatium habuit: ac moriens tandem in Episcopatu successorem reliquit. Vix Alexandrinæ sedi admotus, à Lucio mortalium pessimo, sub Velente Imperatore, Episcopatu dejectus, Romam ad S. Damasum, Athanasium imitatus confugit. Ab eodem Damaso Papa restitutus, Alexandriam rediit. Apollinaristas

nariſtas diris devovit. Sanctum Gregorium Nazianzenum, ad novæ Romæ Epiſcopatū intentis viribus promovit. Verùm eam laudem poſtea non nihil obſcuravit, Maximi Cynici, contra Nazianzenum ſuſcipiens partes: cujus rei cauſa non mediocris macula Petri nomini adhæſit. Tandem ſub annum 381. Alexandriæ, ſub Damaſo Papa, atque Teodoſio Imperatore, graviſſima ætate deceſſit.

De Timotheo Epiſcopo Alexandrino. Petri fratre, ac Succeſſore.

154. TIMOTHEUS ALEXANDRINUS Epiſcopus Petri frater, atq; ſucceſſor, vir ſpectatæ virtutis, atq; Theodoſio Auguſto cõmendatiſſimus, quinque annos geſſit Epiſcopatum. Interfuit Concilio Conſtantinopolitano generali ſecundo. Cùm audiviſſet, Ammonem ſolitarium, quem ipſe ad præces neſcio cujus Eccleſiæ, ex Alexandrina ditione Epiſcopum ordinare ſtatuerat, aures ſibi abſcidiſſe, quò ſe Epiſcopatus periculo ſubduceret; rei novitate commotus, hæc (1) fertur pronun-

(1) Pallad. cauſ. 12.

nuntiasse *eum, qui moribus pollet Episcopatu dignis, etiamsi naso careat, Episcopum ordinabo*. diem denique clausit extremum anno 385. sub Siricio Papa, atque Theodosio Imperatore. Geminam Timothei Epistolam superstitem habemus; alteram ad Diodorum Tharsensem apud (1) Facundum, alterã canonicam in *Trullo* firmatam, primo ejus concilii canone. Historiam quoq; solitarij Apollinis, ac nonnullorum eremum Ægyptiacam incolentium Timotheo tribuit (2) Sozzomenus.

(1) *Facund. lib. 4. c. 2.*

(2) *Sozzomen. l. 6. cap. 29. apud Godefroy Hermant.*

Hi quatuor Episcopi Alexandrini sanctitate, per illud tempus, excelluerunt: verum Petrum atq; Timotheum etsi virtute præstantes, inter Sanctos tamen scriptos, in Ecclesiæ Tabulis minimè invenio.

De Martyribus, & Confessoribus ditionis Alexandrinæ.

155. POST Patriarchas, alios Alexandrini Patriarchatus, sanctos Episcopos, vel extremum suppliciũ, vel exilia, aliaq; dira passos, pro Religione, majorumque fide tuenda, tum

etiam

etiam quamplures Martyres non Pontifices, memorabo.

De S. Potamone.

156. Sanctus Potamon Episcopus Heracleæ Niloticæ, quæ urbs erat sub ditione Alexãdrini Patriarchatus, in ea Ægypti regione posita, quam tunc temporis vocabant Arcadiam, vir fuit, ante Nicænum Conciliũ, confessione, post illud tempus, rebus gestis, atq; martyrio clarissimus. Maximino in Christi cultores furente, in vincula pro fide tuenda conjectus, Eusebium Cæsariensem socium carceris, sed non fortitudinis habuit. Namq; Patomonem fortem invictumque, altero oculorum lumine orbatum, sinistroque succisum poplite ad metalla damnarunt; Eusebiũ verò turpiter cedentem, atque impia Præsidis jussa capessentem corpore inviolatum corruptum animo dimiserunt. Potamon sub Constantino restitutus, primò adversus Meletium, mox adversus Arium, pro S. Alexandro Patriarcha suo stetit. Tùm ad Concilium Nicænum profectum, stigmatibus in-

insignem Constantinus Magnus, ejus vulnerum cicatrices deosculatus, summis honoribus excepit. Cùm in eo Concilio, tùm posteà adversus eundem Arium, egregiam navavit operam. In Tyrio Conciliabulo, cùm vidisset Eusebium Cæsariensem ac cæteros Eusebianos pro tribunali sedentes; Athanasium verò stantem veluti reum, primò flevit; mox liberrima indignatione ad eundem Cæsariensem Eusebium verba fecit ejusmodi: *Tu*(1) *sedes Eusebi, & Athanasius innocens stans à te judicatur? Quis tulerit talia? Dic mihi tu: Nonne mecum fuisti in carcere tempore persecutionis? Et ego quidem oculum amisi pro veritate; tu verò nihil mutilatum in corpore habere videris, neque testimonium propter confessionem tribuisti, sed stetisti vivens, nulla parte detruncata. Quomodo discessisti è carcere? nisi quod promisisti jis, qui necessitatem nobis persecutionis intulerant, id quod nefarium est, te facturum esse, aut sanè fecisti.* Demùm sub annum 342. Ecclesiam Julio moderante, illius cervicem Eusebiani, adeò (2) verberibus comminuerunt, ut paulò post vulneribus,

(1) *Epiphan. hæres.* 68.

(2) *Athanas. ad Solitar.*

bus, atque dolore confectus, generosissimam animam exhalaverit. Ejus memoriam die 18. Maii Romana Ecclesia quotannis veneratur. Eodem tempore Ariani Serapammonem Confessorem, in Ægypto Episcopum, acerbissimis constrictum vinculis egerunt exulem. Repetat lector, quæ de S. Potamone suprà retulimus cap. 1. n. 8. & 22.

De S. Paphnutio.

157. S. Paphnutius Ægyptius, confessionis, sub Maximino, gloriam obtinuit: ex illorũ numero, quos idem Christiani nominis acerbissimus hostis, oculo effosso, succissoq; poplite ad metalla damnaverat. Tùm in eremo, sub Antonio Magno monasticam vitam secutus est. Inde Episcopus in Ægypto ordinatus, Concilio Nicæno interfuit. Miraculorum potentia parem illum Apostolis (1) Ruffinus memorat; idemque author est, tanto in pretio apud Constantinum fuisse, ut sæpius ad Palatium vocatũ arctissimè amplecteretur; effossique oculi cicatricem repetitis osculis demulceret. In Conciliabulo

(1) *Ruffin. l. 1. cap. 4.*

bulo Tyri, una cum Potamone, contestationem pro Athanasio subscripsit. In eodem Conciliabulo, cùm tot, tàmque indigna memoratu, quæ illic per Eusebianos agitabantur ferre non posset; Maximi Episcopi Hierosolymitani manum apprehendisse (1) fertur, atque dixisse: *Surge, migremus hinc; nefas enim est, Confessores cùm simus, & pro pietate tùm oculos effossos, tùm pedum flexus debilitatos habeamus, Concilio hominum perditorum communicare.* Denique multa pro fide Catholica passus, migravit in Cœlum. Natalis ejus dies annua vice, sacer atque celebris in Ecclesia recurrit. (2) Vivebat eodem tempore Paphnutius alter, Meletianus, & Arii studiosus, & ipse professione monachus, & apud suos Confessoris titulo celebratus; quem eâ causa hic memoro, ne forte lector ambiguo Paphnutii nomine decipiatur.

(1) *Sozzem. lib. 2. cap. 24. apud Baron. tom. 3. Ann. p. 435. editionis Romanæ.*

(2) *Martyrol. Roman. die 11. Septembris.*

De S. Frumentio.

158. S. FRUMENTIUS Episcopus Auxumensis eorum numero accedit, quos pro Fide Catholica, in ditione

Ale-

Alexandrina, per illud tempus, Arianorum furor exagitaverat. Ejus vitæ cursus mirabilis sanè fuit. Tyri natũ fuisse perhibent; & Meropio Philosopho sanguine jũctum. Is Philosophus, cùm animo incessisset cupido, remotas Mundi regiones peragrandi, atque incredibili ardore teneretur, diversos hominum mores, variaque populorum studia cognoscendi; ob eamque rem in interiorem, ignotamque Africæ partem penetrare, apud se statuisset, Frumentium, atque alium quemdam Aëdesium nomine, admodùm pueros, quos literis imbuendos susceperat, secum peregrinationis comites duxit: eo exacto itinere, dum in patriam reverterentur, navis quâ vehebantur in quendam Abyssiniæ portum, aquandi causa, incautiùs appulit. Incolæ, ubi Romanæ ditionis (quam tunc temporis suspectam habebant) advenas adesse intellexerunt, in illos repentè irruentes, miserum Meropium, atque ad unum reliquos jugularunt: puerulos verò Frumentium, & Aëdesium, repertos sub arbore libris intentos, ac literarium pensum meditantes, misericordiâ ducti, Auxumũ, quæ prin-

ceps erat regionis civitas, ad Regem vivos duxerunt. Placuit Principi puerorum instar; captivorumque indoles, etiam in vinculis generosa, ingenio Barbari sedit. Utrumque apud se esse voluit: & Aëdesium pincernam constituit; Frumentio verò, cui promptior animus erat, & literarum peritia major, scripturarum curam, quibus regni rationes contineri solent, concredidit. Moriens deinde Rex, filios duos infantes adhuc, hæredes regni; Reginam uxorem, moderatricem; Fruementium, & Aëdesium liberos, testamento reliquit. Regina, viro defuncto, Frumentium, & Aëdesium, reditum adornātes, enixis precibus retinuit, ut eorum operâ, quos fidissimos experta esset, in Regni administratione, donec geminus hæres adolesceret, uteretur. Frumentium in primis, magna mentis vi, erectoque animo præditum (nam Aëdesius simplicem tantùm fidem, ac probitatem præseferebat) curis publicis admovit; eidemque rerum arbitrium omne commisit. Frumentius in ea provincia gerenda, summam potentiam, summâ animi moderatione temperavit;

vit; aleamque periculi plenam ita tractavit, ut capacem se magis Regni, quā avidum exhiberet. Sed ea prima illius cura, & cogitatio fuit, ut Christianam Religionem, in Æthiopica ditione fūdaret: ob eam rem Christianos advenas, quot quot illuc inciderent conquisivit, eosdemque monuit, ut loca sibi, toto eo regno deligerent, in quæ loca, Christianorum more convenientes, vel divina mysteria, si fors Presbyterum nanciscerentur, sin minùs, pias alias functiones Romano ritu peragerent. Ad id ipse, quâ pollebat potentiâ, potestatem amplissiam, tùm opes, aliaque omnia quæ usui forent, contulit; Ecclesias plures pro tempore ac loco extruxit; aliaque fidei semina, in barbarum agresteque solum jecit; quibus deinde seminibus Deus, cujus divino consilio ea omnia disponebantur, ingens incrementum dedit. Interea cum Regii hæredes, quorū alter Aïzan, alter Sazzan vocabatur, adolevissent, jis Frumentius Regnum integerrimum, suaque operâ & industria florentissimū restituit; nec vt ultra ibi maneret eorum Principum, aut Reginæ precibus

 in-

induci potuit: Ex Æthiopiâ itaque discedentes Frumentius, & Aëdesius, hic qui propinquorum desiderio pertentabatur, Tyrum in patriam suam rediit; ille verò, cujus animum ea cura extimulabat, quod malè inter barbaros jacta fidei semina reliquisset, brevi sine cultoribus peritura, concessit Alexandriam; eo scilicet consilio, ut Athanasio Magno, quæ sibi evenerint apud Æthiopes exponeret, simulque suaderet, uti Auxumensibus Episcopum daret, prudentia & sanctitate pollentem; qui posita ibi fidei rudimenta, ad perfectum opus deducèret. Athanasius re cognitâ, obortisq; ob lætitiam lachrymis, nulla interposita mora, ipsum Frumentium Auxumentium ordinat Episcopum; ratus neminem, ad eam rem exequendam, illo aptiorem fore. Frumentius Auxumum Episcopus rediit; ibique summis honoribus, ingentique gaudio exceptus, brevi Regiam domũ, omnemque ferè gentem, ab Idolorum servitute assertam, ad Christi sidem adduxit; eâque via & ratione, ita eo disponente *qui ludit in Orbe Terrarum*, à captivo Frumentio ejus gentis pro-

fecta

fecta libertas est, atque felicitas. Dum verò messem illam Frumentius felicissimè sobolescentem excoleret, egregio intentum operi, & nil tale timentem Constantii furor aggreditur. Literas perfidus Imperator ad Auxumenses Principes dedit, illos acrius extimulans, uti Frumentium Regni finibus ejectum, in Ægyptum remitterent: ad id verò scribendum causa duplex Constantium compulit; altera ut Frumentium, sanctitatis fama, rebusque in Æthiopia gestis celebratissimum, ab Athanasii societate divelleret, & Georgio Alexandrinæ sedis invasori scelestissimo, obedientiæ perfidiæque consortio jungeret: altera ne Athanasius, quem tunc temporis ad necem persequebatur, cuique nullum securitatis angulũ patere vellet, tutum in Æthiopiam receptum habere posset. Extant hæ literæ ad Auxumi principes apud eundem Athanasium; (1) verùm quid illis profecerit Constantius, satis exploratum non habeo: Godefridus Hermant in ea est sententia, plus apud eosdem Principes, religionem in Deũ, & obsequium erga Frumentium, quàm

(1) *Apolog. I.*

Constantii authoritatem valuisse. Hæc autem sunt, quæ de Frumentio partim à Ruffino, partim ab Athanasio accepimus; qui Ruffinus eam historiam ab ipsius Aëdesii ore, Tyri se audivisse testatur. Quando verò è vivis Frumentius excesserit, & quo mortis genere, statuere minimè possum. Illum Ecclesia Sanctorum honoribus veneratur, ejusque memoriam Græci die 30 Novembris, Latini verò 27 Octobris quotannis sacram habent. Holstenius nobis author est, se Romæ Presbyteros Abbyssinos audivisse, testantes, Frumentium in suis regionibus, velut gentis Apostolum, susceptæque Religionis authorem, ad hāc etiam diem coli. Ita Auxumi Civitas, & gens omnis Abyssinorum, Frumentium, dum viveret, primò captivum, mox Regnatorem, deindè Episcopum, tandem Apostolum habuit: nunc verò in Cælo inter Sanctos degentem, tutelarem, ac defensorem veneratur.

De

De aliis Martyribus ditionis Alexandrinæ.

159. QUamplures etiam alios Episcopos per Ægyptum, & reliquam ditionem Alexandrinam, sub Constantio Imperatore, in Georgiana invasione, duce Sebastiano scelestissimo Manichæo, aut tormentis excruciatos, aut ærumnis exilioq; extinctos, memorat Athanasius. (1) Ammonium, Muim, Cajum, Philonem, Hermem, Plinium, Psenosyrin, Polemonem, Agathonem, Anaganphon, Marcum, Ammonium alium, aliumque ejusdem nominis Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum: Presbyteros quoque Hieracem, atque Dioscorum: quos tanta acerbitate raptatos fuisse affirmat, ut quidam in itinere, quidam in exilio, ex labore decesserint. Quod spectat ad Dracontium, hunc illum esse reor, quē (2) Athanasius diù repugnantem, variis argumentis, aliorumque Monachorum exemplo, tandem induxit, ut è solitariæ vitæ latebris, ad publica commoda se conferret, ac Episcopatus oneri humeros

(1) *Athanas. Apol. de fuga sua.*

(2) *Athanas. epist. ad Dracontium.*

ros demùm supponeret.

160. Præter Episcopos, fidei causa exagitatos, quorum nuper meminimus, alios recensebo ipsiusmet Athanasii verbis, quos idem Georgius, per eundem Sebastianum copiarum ducem, excruciatos necavit. Hæc sunt Athanasii (1) verba; *In hebdomade siquidem post Sacram Pentecosten, populus, completis jejuniis ad orandum ad cæmeterium abiit, eo quod abhorreret à communione Georgii: Quod cùm homo, omnibus modis sceleratissimus intellexisset, ducem copiarum Sebastianũ, secta Manichæum ad vim, & arma instigat. Igitur ille militari manu, infestis telis, cùm alii gladios strictos, alii arcus gestarent, impetum in populum facit; variosque illic oratores deprehendens (nam plerique, ut erat diei tempus discesserant) talia designavit, qualia par erat eum designare, qui istiusmodi hominibus aurem præbuisset. Virgines enim, ignibus flammantis rogi admotas, adigebat ad confessionem Arianæ religionis; ibi cùm eas invictas cerneret, corpora nudat, atque ita in faciem cædit, ut vix longo post tempore à suis potuerint agnosci.*

(1) *Athanas. Apol. de fuga sua.*

Vi-

Viros autem quadraginta comprehensos, nova ratione laceravit: virgis enim palmeis, aculeos suos adhuc retinentibus ita terga eorum cecidit, ut alii sæpè à medicis, ob tenaciùs inhærentes aculeos frustra curati; alii curationem non ferentes, mortem oppetiverint. Cæteros deinde omnes, quotquot comprehenderãt, in eam partem Ægypti, quæ magna Oasis appellatur, relegarunt. Horum omnium, tùm Virginum, tùm virorum, qui Pentecostis tempore, tàm dira Alexandriæ passi sunt memoriam Ecclesia veneratur die 21. Maii.

Ingens sanè mortaliũ numerus præter hactenus memoratos, in Alexandrina ditione, per ea tempora, fidei causâ, ab Arianis occubuit; dum Constantius, & Valens crudelissimi principes, omni acerbitatis genere, catholicos premerent: Duos commemoro Secundum Barcæ Presbyterum, & Euthichium Subdiaconum Alexandriæ.

De S. Secundo Barcæ Presbytero M.

161. Sa Secundus Barcæ in Pentapoli Presbyter; quem Arianis adver-

versantem, quidam Catoscopus Ptolemaidis, Secundus quoque nomine, atq; alius cui nomen erat Stephanus, uterq; Arianus insolentissimus, calcibus protritum, per nefariam crudelitatem necarunt, inter vulnera exclamantem: *nemo me apud Iudicem vindicet: habeo Iudicem Dominum Iesum, pro cujus nomine ista patior*. Martyrium Secundus consumavit Pentapoli, sub annum 356. Liberio Ecclesiam, & Constantio Imperium moderantibus.

De S. Euthichio Martyre.

162. S. Euthichius Subdiaconus Alexādrinus, fidei robore, ac vitę probitate laudatissimus fuisse traditur. Ea causa Arianos infensissimos habuit; Illũ proinde impii, in eadē Georgiana tempestate cōprehensum, verberibus penè ad interitum contriverunt. Tùm in Phèno (qui locus erat metallorum acerbissimus, ad quod nonnisi parricidæ, aut id genus malefici damnari consueverant, eoque damnati vix paucos vivebant dies) semianimem ejecerunt; ne horæ quidem spatio, ad vul-

vulnera curanda permisso; quare paulò post in ipso itinere decessit; sub annum 356. S. Euthichii memoriam, eorumque simul omnium, qui Georgio persequente, Patrum Fidem sanguine testati sunt, quotannis Ecclesia recolit die 26. Martii. Sed jam satis pro instituto nostro de Martyribus, & Confessoribus Alexandrini Patriarchatus. Ad Eremum pergamus.

SANCTI MONACHI PATRIARCHATUS ALEXANDRINI.

De Paulo primo Eremita.

163. Sanctus Paulus Thebæus Eremitarum princeps, natus est anno à reparata salute 230. Urbano ad Ecclesiæ clavum sedente; imperante Alexandro. Adoloscens, cùm annum ageret tertium supra vigesimum, solitudinem, in quam Decio Christianos persequente, metu actus, confugerat, libens deinde volensq;colere cæpit: in saxei montis radice speluncam nactus, quam aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat; cuique fons inerat lucidissimus, ibi divinam veluti ducens vitam, soli Deo notus,

notus, annos nonaginta delituit. Eo spatio temporis corvum habuit altorem; qui divinæ minister Providentiæ dimidium panis quotidie solitario ferebat. Ad illum jam morti proximum, Magnus Antonius divino jussus oraculo, ac Deo ipso, variis prodigiis, indicante viam penetravit: cùmque una essent in antro, Corvus statuta hora pro dimidio, integrum ferens panem Servis Dei duplicavit annonam. Tùm Antonio, se jam jam moriturum prædicens, jussit ut suum corpus, post quam anima evolasset, eo pallio involueret, quod ipse olim Antonius ab Athanasio Episcopo acceperat; ea re significans, se in Athanasii Magni Episcopi sui fide, ac societate mori velle: paulò post, annos tredecim supra centum natus, animam virtutibus inclytam Deo reddidit, vertente salutis anno 343. Julio Ecclesiam, Constantio, & Constante Imperium obtinentibus.

De S. Antonio Magno.

164. SANCTUS ANTONIUS MAGNUS in Ægypto natus Reparatoris anno

no 251. ſub Fabiano Papa,& Philippo Imperatore. Adoleſcens,cùm in vigeſimo ferè ętatis anno verſaretur, Evāgelii dicto audiēs, omnia ſua pauperibus dedit: jis ſolutus vinculis, ad ſtudium chriſtianarum virtutum toto pectore incubuit. Tùm ab hominum commercio ſe dividens, brevi monaſticæ vitæ author, & Monachorum pater evaſit. Cœnobia per Ægyptum, Syriam, Aſiā fundavit plurima. Schiſmaticos,& Hęreticos, Arianos præſertim,adeò abominabatur, ut eorum etiam aſpectum angue pejùs vitaret. Idolorum cultores, Philoſophiâ, prophanâque ſapientia tumentes,in ruborem ſæpius conjecit. Malos dæmones, ſub horrenda beſtiarum, monſtrorumque ſpecie apparentes, eorumque minas inaneſque conatus deriſui habebat. Futurarum rerum prænotionibus, omnium virtutum conſpiratione, auſteritate vitæ,ac miraculorum potentiâ clarus, univerſum terrarum Orbem, ſui nominis famâ, & admiratione defixum tenuit. Ad illum Conſtantinus Magnus, geminique filii, litteras obſequio plenas dederunt; quas ipſe convocatis Monachis

oſten-

oſtendit, dicens: *Reges ſæculi ad nos ſcripſerunt.* Conſtantium Imperatorem quòd Catholicos perſequeretur, per literas liberrimè caſtigavit. Ab Athanaſio Magno, cùm hìc ex munere ſuo Alexandrinam ditionem luſtraret, gemino pallio donatus, eorum altero Pauli Eremitæ corpus involuit; alterum eidem Athanaſio moriens teſtamento reliquit. Cùm Dei monitu, ad eundem Paulum inveniendum, incertus viarum, per deſerta inviaque loca pergeret errabundus, geminum monſtrum habuit obvium; quorum alterum Hippocentauro (1) ſimile, juſſum ab Antonio, ut ubinam homo Dei lateret oſtenderet, barbarum neſcio quid infrendens, dexteræ manus protentione, cupitum iter indicavit: alterum (2) Fauni ſpeciem præſeferens, aduncis naribus, fronte cornibus aſperatâ, supernè homo, ſed in caprarum pedes deſinens, in ſaxoſa viſum convalle, ſervo Dei, ea monſtra obſtupeſcenti, palmarum fructus amicè obtulit; & quiſnam eſſet interrogatum, reſponſum dedit ejuſmodi: *mortalis ego ſum, & unus ex accolis eremi, quos vario deluſa errore*

(1) *Hieronym. in Vita Pauli.*

(2) *Idem ib.*

Genti-

Gentilitas, Faunos, ſatyroſque, & incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei: precamur ut pro nobis communem Deum depreceris, quem pro ſalute Mundi veniſſe cognovimus, & in univerſam Terram exiit ſonus ejus. Vixit Antonius annos quinque ſupra cẽtum: quorum octoginta quinque in eremo ferè conſumpſit; moriens adſtantibus Monachis, quos filiorum loco habebat, ſuprema voluntate hujuſcemodi cõmendavit. *Schiſmaticorum, & hæreticorum venena vitate, meumq; circa eos odium conſectamini; quia Chriſti ſunt inimici. Scitis ipſi, quod nullus mihi, ne pacificus quidem ſermo cum eis aliquando fuerit propter eorum pravam voluntatem, & pertinax contra Chriſtum bellum. Veſtimentorum autem meorum ſit iſta diviſio: Melotem, & pallium tritum, cui ſuperjaceo, Athanaſio Epiſcopo date, quod mihi novum ipſe detulerat. Serapion Epiſcopus aliam accipiat melotem. Vos cilicinum habetote veſtimentum, & valete viſcera mea: Antonius enim migrat, & jam non erit in præſenti ſæculo vobiſcum* Avolavit in Cælum inſtauratæ ſalutis anno 356. ſub Liberio Papa, & Con-

ſtantio Imperatore, ſexto decimo Kalend. Februarii; quem diem hujus Sancti memoriæ ſolemnem Eccleſia conſecravit. Antonii Magni vitam Magnus Athanaſius (1) Græcè ſcripſit, quam latinè reddidit Evagrius (2) poſtea Epiſcopus Antiochenus; quæ Athanaſius de Antonio ſiluiſſe ſe dixit, ea Hieronymus, cùm Pauli Eremitę vitam ſcriberet ſupplevit. De eadem Antonii vita, multa Rivetus (3) turbat: quam ſcilicet habemus non eſſe illam, quam olim Athanaſius conſcripſerat: Ipſum Antonium, cauſidicum aliquando fuiſſe: aliaque id genus plura; quę, quàm ſatis leviter, & inconſultè dicta fuerint Godefridus Hermant breviter, ſolidèq; demonſtrat. De Paulo, & Antonio longiuſculam fecimus mentionem, quia Eremitarum omnium facilè principes extiterunt: de paucis aliis breviùs dicam.

(1) *Hieronym. de Scriptor. Eccleſiaſt. in Evagrio.*

(2) *Idem ib*

(3) *Rivetus. lib. 3. c. 4. p. 263.*

(4) *Godefroy Hermãt. vit. Athanaſ. t. 2. p. 771. 772.*

De Sancto Pachomio.

165. S. PACHOMIUS Ethnicis, credo, parentibus in Ægypto natus eſt ſub annum 296, cùm Cajus Eccleſiá, Dio-

Diocletianus, ac Maximianus imperium administrarent. Idola, primâ ætate, miserè coluit; sed cùm in quodam Thebaidis oppido, ingentem Christianorum, in hospites charitatem, & in pauperes misericordiam incredibilem oculis usurpasset, ea re vehementer commotus, christianam Religionem primò mirari, mox etiam sectari cæpit; solitus, cùm apud se de fide suscipienda deliberaret, preces fundere hujuscemodi: *Domine Deus qui fecisti Cælum, & Terram, si respiciens respexeris humilitatem meam, & mihi tuæ Divinitatis dederis cognitionem, & me liberaveris, ex hac afflictione; tibi serviam omnes dies vitæ meæ, & convenienter tuis præceptis vitã instituam.* Itaq; postquàm sub Licinio militasset, meliori cõsilio usus, Christianæ militiæ nomen dedit. Sacro fonte expiatus, in Eremum apud Thebanise vicũ secessit, ubi, Angelo dictante, Monachorum conscripsit regulas; ac brevi tantam sanctitatis famam est consecutus, ut, post magnum Antonium, nemo eo celebrior inter Monachos Thebaidis videretur. Pachomii vitam Athanasius

(1) *Hieronym. ad Princip. epist. 16.*

teste Hieronymo (1) Romam tulit, quę vita Romanis maximè usui fuit, ad vitam monasticè instituendam; indeque Urbs domina non mediocrem utilitatis fructum cępit. Eidem Athanasio, cùm suæ ditionis inviseret solitarios, Pachomius obviam cum suis Monachis, laudęs, hymnosque Deo canentibus processit; sed mistus multitudini, ne dignosceretur ab Episcopo, cui in animo esse præsenserat, ipsum Monachorum caput constituere. Hæc autem de Pachomio innuisse sufficiat. Sororem illi fuisse ferunt, quæ fratrem imitata, eremũ & ipsa coluit; atq; ut ille Monachorum pater, hæc Mater Virginum fuit. Collegas etiam habuit celebratissimos Orsiesium, atq; Theodorum.

De SS. Serapione, & Ammonio.

166. SSERAPION per idem tempus in Ægypto floruit. Solitudinem diù coluit: tum Episcopus Thmuis sub annũ 328 ab Athanasio renunciatus est. Ob literarum peritiam, scholastici ei nomen accessit: eidemque Athanasius Magnus sua scripta videnda mittere consuevit. Idem Athanasius illum ad Constantium Imperatorem legavit, ut,

ut, ejus Principis animum, in Athanasiũ furentis demulceret. Pro Nicæna fide, & Athanasio tuendo, exilium, ærumnasque plurimas devoravit. Macedonii hæresim, in Ægypto invalescentem acerrimè est insectatus. Ei moriens Antonius Magnus Melotem reliquit, dicens: *Serapion Episcopus aliam accipiat Melotem*: extat Athanasii (1) liber de Spiritu S. ad hunc Serapionem inscriptus: de hoc etiam Serapione S. Hieronymus scribit ejusmodi: *Serapion Θμουεως Ægypti Urbis Episcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen scholastici meruit, carus Antonio Monacho, edidit adversus Manichæum egregium librum, & de psalmorum titulis alium, & ad diversos utiles epistolas, & sub Constantio Principe, etiam in confessione inclytus fuit.*

167. Ammonius etiam quidam Solitarius, ea tempestate in Ægypto celebratur. De hoc ita Socrates (2) scribit: *Alius quidam Monachus erat, vir planè admirabilis, qui Ammonius vocabatur: iste adeò parũ erat curiosus, ut cũ Romæ una cum Athanasio versaretur, nihil ex magnificis Urbis operibus, præter templũ*

Petrô, & Paulo dicatum, videre omninò desideraret. Pervenit hic Ammonius usque ad Timothei Alexandrini Episcopi tempora; à quo cum creandus foret Episcopus, aurem sibi præcidit, ne (ut sibi videbatur) eligeretur indignus.

De Sancta Syncletica.

168. S. SYNCLETICA pariter Alexãdrina virgo, & solitaria celebratissima, per illud tẽpus creditur floruisse. Hęc nobili loco, ditissimisq; orta parentibus, à teneris virginitatis suæ florem, seque totam Christo devovit: nec unquam, aut Patris adhortationibus, aut coniunctorum precibus, aut matris lacrymis à proposito dimoveri potuit. Parentibus vitâ functis, omnia sua bona in usum pauperum erogavit: deinde in quodam sepulcro, propè Alexandriæ mœnia, ab hominum societate disjuncta, ad posterum vitæ tempus habitare decrevit: ubi octoginta ferè annos, ærumnis, Dæmonum insidiis, concupiscentiæ stimulis, corporis animique doloribus acerbissimis exagitata, horũ omnium victrix, ac sanctitatatis fama clarissima, migravit in Cœlum. Extat

S. Syn-

S. Syncleticæ vita; quæ Athanasio tribui solet, sed an verè illam Athanasius scripserit, lis est non modica, quæ pendet aduc sub Judice.

Alii Monachi MM. & CC.

169. HIs addere nō gravabor monachorum multitudinem, quam per Ægypti, Nitrięq; deserta, Valente regnāte, fertur exagitasse Lucius ille, qui, exacto Petro, Alexādrinam sedem vi, atq; armis invaserat: qua in re (1) Ruffini utor verbis, quæ sunt ejusmodi; *Indè post fugas civium, & exilia; post cædes, & tormenta; flammasq; quibus innumeros confecerat, ad monasteria furoris sui arma convertit* (*nempè Lucius*) *vastat Eremum, & bella quiescentibus indicit. Tria millia simul, aut eo amplius viros per totam Eremum, secreta, & solitaria habitatione dispersos, appugnare pariter aggreditur: mittit vi armatam equitum, & peditum manū: Tribunos, Præpositos, & bellorum Duces tanquam adversus barbaros pugnaturus elegit. Qui cum venissent, novam belli speciem vident; hostes suos, gladio obiectare cervices, & nihil aliud dicere nisi:*

(1) *Ruffin. l. 2. cap. 3. & 4.*

 Amice

Amice ad quid venisti? Per id tempus patres Monachorum, vitæ, & antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macharius, atque Heraclides, & Pambus Antonii discipuli per Ægyptũ, & maximè in Nitriæ deserti partibus habebantur; viri, qui consortium vitæ & actuum, non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis Angelis habere credebantur. Hi ducebant exercitum Domini, non mortalibus telis, sed fide Religionis armatum; exercitum moriendo vincentem, & qui sanguinis sui profusione victor, Christum sequeretur ad Cœlum: Quique dum in tabernaculis positi, & orantes expectarent interfectores suos, Delatus est ad eos homo olĩ membris omnibus, & precipuè pedibus aridus: sed cum ab eis, in nomine Domini, oleo fuisset perunctus, statim confirmatæ sunt plantæ ejus, & dicentibus eis: In nomine Jesu Christi, quem Lucius persequitur, surge, & sta in pedibus tuis, & redi ad domum tuam: continuo exurgens, & exiliens, benedicebat Deum, ostendens, quia verè erat in eis Deus. Hæc Ruffinus. In hac autem Lucij insectatione sævissimâ, ingens eorum Monachorum numerus

merus

merus, gladijs impiorum occubuit: vulnerati plures, alii verberibus acerbum in modum afflicti. Quos verò diximus reliquorum patres, Macarius, Isidorus, Macarius alius, Heraclides, ac Pambus exules acti sunt: eorumq: exilium his (1) Ruffinus idem prosequitur: *Sed in his omnibus Lucius non erubuit, nec aliquid reverentiæ, virtutum mirabilibus detulit: quinimo jubet, Patres ipsos, ablatos à grege suo, imò clàm raptos in insulam quandam Ægypti paludium deportari, in qua compererat, neminem prorsus esse Christianum, quò per hoc, vel absque solatiis, vel absque consuetis actibus viverent*, quam deindè insulam sanctissimi exules ad Christi fidem adduxerunt. Inter hos, Macharium magis celebrant antiquarum rerum memoriæ. Hic enim ille est notissimus miraculorum patrator, qui leunculos a cæcitate curasse, & ovinam pellem velut in gratiarum actionem, à leæna matre dono accepisse memoratur. Atq; hæc satis de viris sanctitate inclytis, qui per illud tempus in Alexandrino Patriarchatu floruerunt; quorum nomina hic ex ordine ponam.

(1) *Ruffin. apud Baron.* t. 4. p. 340. c.

Pa-

Patriarchæ Alexandrini.

170\. S. Alexander.
S. Athanasius.
Petrus.
Timotheus.

Episcopi Martyres, & Confessores.

S. Potamon Episcopus.
S. Paphnutius Episcopus.
S. Frumentius Episcopus.
S. Ammonius Episcopus atq; Socii numero sexdecim.
S. Secundus Presbyter Barcæ.
S. Euthichius Subdiaconus Alexandriæ, atque alii plurimi.

Monachi.

S. Paulus primus Eremita.
S. Antonius Magnus.
S. Pachomius.
S. Serapion.
S. Ammon.
S. Syncletica Solitaria.
S. Macharius, atq; alii plurimi.

SAN-

SANCTI EX PATRIARCHATU ANTIOCHENO.

Patriarchæ Antiocheni.

171. S. Eustathius genere Pamphilus sudites, spectata virtute, maximâq; vir famâ, sãctitate, doctrina, rebusq; gestis adeò pollẽs, & clarus fuit, ut Magni cognomentum, jure meritoque obtinuerit. Ad clavum primò Beroensis Ecclesiæ sedit. Inde ob insignem, in tuenda fide, constantiam, post Sanctum Philogonium, in Episcopum Antiochenum, ineunte anno 325 invitus eligitur. Concilio Nicæno magno interfuit; ac primus omnium, luculentissima oratione, initium eidem fecit. Arium, ejusque sectatores verbo, atque opera adeò exagitavit, ut eorum acerbissimum odium in se converterit. Post Nicænam Synodum, ut novis machinationibus, quas Eusebiani moliebantur obviam iret, Concilium Antiochiæ convocavit, sub annum 329. Ibi Canones quosdam editos fuisse memoriæ proditum est; quos deinde, ut sæpè

eve-

evenire solet,tempore susdeque omnia miscente, cum canonibus Antiocheni Conciliabuli,anno 341 celebrati, confusos permistosque fuisse, verosimile mihi videtur esse. Demùm Sabellianismi, & adulterii, aliorumque falsorum criminum nefariè insimulatum, in Antiocheno Cõciliabulo,Nicomediẽsis Eusebij fraudibus inito, in exilium pulsus est; ubi ætate, atque ærumnis consumptus obiit, quo anno incertum est: Scriptores,Eustathij sanctitatem, atque virtutem summis laudibus ad Cœlum ferunt: (1) Hieronymus, hæc ad Evagrium de Eustathio scribit: Primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit. (2) Chrysostomus illũ singulari homilia laudavit, eundem Martyris titulo exornans.(3)Athanasius magnus Eustathij gesta hoc brevi verborũ ambitu complectitur: *Fuit Eustathius Episcopus Antiochiæ, vir confessione clarus, religione pius, quem magno studio pro veritate stantem, & Arianam hæresim odio prosequentem, aversantemque homines Arianæ opinionis, ita apud Constantium fictâ calumniâ accusarunt,*

quasi

quasi in Matrem Principis contumeliosus fuisset; nec mora in exilium eijcitur. Illum alij sub (1) Constantino, alij sub Constantio exulasse contendunt; Alii (2) Trajanopoli Thraciarum, alii (3) Philippis in Macedonia. Illius Corpus diù Philippis jacuit; inde sub annũ 480 (4) Calandionis opera, qui per illud tempus Antiochænam Ecclesiam obtinebat, Antiochiam translatum est. De Eustathii scriptis consule Hieronymum, aliosque qui de scriptoribus Ecclesiasticis accuratè tractarunt. Leo Allatius sermonem Eustathij de Pithonissa, cujus meminit Hieronymus, latinè reddidit. Hexaemeron, quod idem Leo sub Eustathij nomine protulit, haud dignum videtur opus, quod ex magni Eustathij officina exisse existimetur. Post ejus maximi viri obitum, Catholici Antiochiæ rigidiores, Eustathiãi vocari cæperunt, eoq; nomine ab Arij sectatoribus discriminari solebant.

De S. Meletio.

172. S. Meletius Episcopus Antiochenus, clarissimo genere ortus

eſt Melitinę in minori Armenia, ſub initiũ quarti Sæculi: vitæ integritate; religione in Deum; candore morum, atq; animi, inſignis & clarus fuit. Purus ab omni ſcelere vixit; ac virgineum corporis florem, ne levi quidem macula violavit. Sed manſuetudine, & ingenii lenitate in primis excelluit; tantâque fuit oris gratia, & ſuavitate ſermonis, ut omnium ſibi animos obligaret. Sebaſtiæ, ante famoſum Euſtathium Sebaſtenum, renunciatus Epiſcopus, cùm ejus Eccleſiæ plebem, erroribus obduratam, & inſolentiſſimè contumacem ferre non poſſet, Epiſcopatu ſponte dimiſſo, in ſolitudinem circa Beream Syriæ ſe contulit. Inde, operâ præſertim Arianorum (quod diuturni ſchiſmatis initium fuit, & longa malorum ſeries) Antiochenum Epiſcopatum obtinuit: dignus profectò ea in ſede collocari, ſed non manibus hæreticorum. In ipſo Epiſcopatus primo limine, cùm de Verbo Divino, catholicam veritatem in frequentiſſimo Epiſcoporum, ac populi conventu, luculentiſſimè prædicaſſet, Arianorum (qui Meletium à ſe fore ſperaverant, & ob eam rem ad

Epi-

Episcopatum promoverant) spem lusit, animosque percussit. Tunc facinus incredibile memorant accidisse: Arianus quidam mortalium audacissimus Ecclesiæ Antiochenæ Archidiaconus ad os Meletii prædicantis, quò minùs talia loqui pergeret, temerariam manum opposuit. Nihilominus divinus Meletius, institutam orationem per signa prosequebatur; & populo ad rei insolentiam stupore defixo, subinde unum, subinde tres digitos ostendens, quâ poterat viâ, & ratione significabat, unam Dei Naturam, in Personis tribus subsistere. Post hæc, spatio temporis brevissimo, Ecclesię Antiochenæ faciem, ab hæreticis deformatam integritati (1) restituit. Harum rerum causâ, cùm Arianos Meletii altè pænituisset, & pænitentia mox in furorē abiisset; eorum machinationibus, Constantii jussu, post mensem ab inito Episcopatu, exul repentè actus est. Dum in exilium invitâ urbe pelleretur, Præsidem, à quo rapiebatur, quò minus à concitata plebe lapidibus obrueretur, pallio suo protexit; ardentemque ira populum, nutu, ac voce sedavit. Sede, urbe-

(1) *Chrysost. homil. de S. Meletio.*

urbeque Antiochena motus, Melitinæ in Patria sua, duos annos delituit. Eo deinde solutus exilio Antiochiam redijt. Cùm Ecclesiam illam partim Arianorum tyrannide oppressam, partim Catholicorum schismate laceratã invenisset, Eustathianos à se alienos; Paulinum, à Lucifero Calaritano, sui exulis loco, constitutum Episcopum; incredibile est, quot pro jis rebus componendis ærumnas, ac labores devoraverit. Sub Joviano Imperatore Concilium Antiochiæ celebravit, ubi literas de Fide Catholica, ad eum Principem dedit; quæ tamen literæ aliquibus, in quorum animis, tanti viri fama perpetuò anceps pependit, suspectæ fuerunt visæ; quòd in illis homousii vox minùs exprimeretur. Tùm iterùm, ac tertio sub Valente pro Religione tuenda exulavit. Defuncto Valente Antiochiam rediit, & Concilio ibidem, magna Orientalium frequentia celebrato interfuit; Fideique in posterum servandæ regulam, à Damaso Papa ad omnes Orientales missam, cum omnibus ejus Concilii Patribus recepit. Inde Constantinopolim ad Concilium Ge-

Generale secundum non rediturus cõcessit; quò cum pervenisset, summis illum honoribus Theodosius Imperator excepit. Eo in Concilio, Gregorium Nazianzenum repugnantem, ad Novæ Romæ Episcopatum promovit. Paulò post ibidem non dum dimissa Synodo, ingenti omnium luctu, gravis annis, virtute, rebusque gestis ac toleratis clarissimus obiit anno 381. sub S. Damaso Papa, & Theodosio Imperatore: moriens, uti à Gregorio (1) Nazianzeno accepimus, Ecclesiæ pacem, & Oriẽtalium cum Occidentalibus concordiam Episcopis commendavit. Illius funera solemnissimo ritu, immensaque populi frequentia Urbs regia celebravit. Plures ex ejusdem Concilii Patribus, qui eloquentiâ magis valerent ejus laudes, funebri oratione sunt prosecuti; inter quos S. Gregorius Nyssenus Magni Basilii frater. Corpus deinde, Constantinopoli Antiochiam magna celebritate deportatum, in Ecclesia S. Babylæ, quam vivens ipse fundaverat, juxta ejusdem Sancti Martyris sepulchrum deposuerunt. Eorum temporum Scriptores ac Patres, amplissimas

(1) *Gregor. Nazianzen. carm. de vita sua.*

mas Meletio laudes tribuerunt:pręsertim Nazianzenus, (1)Basilius, (2) Nyssenus,(3)Chrysostomns,atque ipsemet Epiphanius, qui Paulino tamen studebat: & à Basilio quidem sæpè Divinus Meletius;à Nazianzeno amator pacis vocatur; à Nysseno verò omnium virtum coloribus expressus, lenitate David, prudentiâ Salomon,bonitateMoyses, integritate Samuel, castitate Joseph, sapientiâ Daniel, zelo Elias, puritate Joannes, claritate Paulus, exhibetur. Tanta erat Orientalium populorum de hoc summo viro opinio, & admiratio, ut illius imaginem in poculis,in annulis, in parietibus sculptã, aut pictam habere omnes vellent; & natis quisque suis Meletii nomen certatim imponeret. Ab illo Magnus Theodosius imperiale paludamentum per somnum sibi recipere visus est. Ille Chrysostomi pueritiam instituit, teneroſque annos moribus, ac virtute formavit: Ille etiam,dùm Syriæ solitarios sibi subjectos inviseret, Simeonis.Stilitæ austeritatem,authoritate,consilioque temperavit: omnia denique magna, & fortia Divinus Meletius pati, & agere visus est.

(1) *Nazianzen. ibid*
(2) *Basil. ep.*
(3) *Nyssen. orat. in funcr. Meletii.*
(4) *Chrysost. homil. de S. Meletio apud Sur. tom. 1. die 12. Febr. cujus fragmentum recitat. in Conc. Nycæno2. Act. 4. & à Damascen. de Imag. lib. 2.*
(5) *Epiphan. hæres. 73. c. 34. 35.*

173. Ve-

173. Verum sanctissimi hujus Antistitis vita, quibusdam fuit notata criminibus: nimirum quòd sceleratam Seleuciæ formulam admisisset: quòd à Schysmaticis accepisset Episcopatum: quòd versatilem habuisset fidem; ambitioni, ac tempori servientem: & quod æquivoca Religionis professione subindè uteretur, quò Arianus, ab Arianis, Catholicus, à Catholicicis, prout suasisset privata ratio, videri posset. Harum rerum causâ, tanti viri nomen, diù ancipiti famâ laboravit: ac divisa erat de Meletio mortalium mens, & opinio. Pars illum Ortodoxum, pium, integrum: alij hæretico pulvere aspersum, obliquum, & fallacem prædicabant: verùm prudentiores ejusmodi crimina pro falsis habebant; Meletium tamen ea nota minimè liberabant, quòd passus sit ab hæreticis fieri Episcopus. Hanc Meletius culpam, quæcumque illa fuerit, immenso fenore compensavit: namq; post initum Episcopatum, continuò Catholicam veritatem, obstrepentibus hæreticis, & nequicquam os illi obstruere conantibus, palàm professus estò

tùm plurimos in eandem veritatis professionem etero doxos induxit : exactis hæreticorum erroribus Ecclesiam sibi comissam, in catholicam integritatem asseruit. Abusus extinxit: eâ causâ Schismaticorum odium, iram, & furias omnes in se concitavit: capitis periculum non semel subiit : ærumnas, exilium labores, & mala plurima toleravit. Verùm neque his omnibus, uulnerata, Meletij fama consolidata est : etiam post hæc in diversa distrahebatur. Ob eam rem urbs primùm Antiochena in Schisma Catholicorum discessit; Alijs arctissimè retinētibus; Eustathianis vitantibus veluti pestem Meletij societatem. Auxit Schismata, in Episcopatum Antiochenum Paulini infusio repentina; indeque inter Meletium, & Paulinum perpetua dissentio extitit; quæ summorum etiam virorum sententias distraxit, ac volūtates: Ephiphanius quidem Meletiū arianismq tinctū exhibet : Hieronymus verò aliquanto durius addit, Meletium ex hæretico catholicum repentè apparuisse, eminentioris dignitatis ambitione. Romæ quoque Meletij fides problema fuit; itaut

nec damnata penitùs, nec penitùs absoluta videretur: Adeo arduum & operosum est, præoccupati animi abstergere opiniones, & famæ semel violatæ vulneribus obducere cicatrices. Nimis etiam asperè habuisse Meletium Basilio visus est S. Damasus Papa, qui nunquam induci potuit, ut vitiosam quidem illius electionem, Primæ sedis authoritate sanaret. Sed quamvis dùm viveret Meletius, illius religio creticus veluti laberynthus, & ænigma inextricabile videretur; longa tamen dies obscuris rebus lucem tulit: ac tandem summa, & singularis tanti viri virtus suam gloriam, seram licet, est consecuta: namque Meletium Ecclesia uniuersa Sanctorum honoribus colit; ejusque memoriam Oriens simul, & Occidens, Græci atque Latini die 12. Februarij sacro ritu quotannis venerantur.

De Paulino Episcopo Antiocheno.

174. PAULINUS quoque, tametsi à Meletio dissenserit, vir tamen fuit virtute clarus, & Sacer-

dotio dignissimus; sed integritate fidei maximè floruit; principemque locum inter Eustathianos obtinuit. Ob eam præsertim fidei laudem, illum Lucifer Calaritanus, minus ratam habens Meletii electionem, Antiochiæ Episcopum, Apostolicæ Sedis authoritate ordinavit: tùm inter ipsum & Meletium dissentio illa, quam diximus, ardere cepit; ejusque rei causâ, mala plurima Paulinus devoravit; omniumque ferè Orientalium inexpiabile in se odium, perpetuamque invidiam suscepit. Sub annum 362 ad Synodum Alexandrinam, geminum Diaconum, Maximum & Calimerem legatos misit. Eadem Alexandrina Synodus, ipsius ordinationem creditur cōfirmasse; datisque ad Ecclesiam Antiochenam Synodicè literis jussit, uti ejus urbis catholici cum ipso communicarent: *coaptantes* (1) *vos interim dilecto nostro Paulino ejusque sociis*. Sanctum Hieronymum ordinavit Presbyterum. Romam venit ad Concilium à Damaso congregatum; à Paula Matrona, genere & sanctitate clarissima hospitio exceptus. Fama est, eo quoque

(1) *Epist. Syn Conc. Alexan. apud Athan. ad Antioch.*

que in Romano Concilio Paulini electionem fuisse probatam. Vitalis appollinaristæ, ejusdem Damasi iussu, causam cognovit. Denique sub annum 389 Siricio ad Ecclesiæ clavum sedente, imperante verò Theodosio, diem extremũ Paulinus sanctissimè clausit Antiochię. Quantam verò tẽpestatem, post Meletii mortem in Paulinum commoverint Orientales, & quid pro illo in Constantinopolitano Concilio fecerit Nazianzenus Theologus; multaque præterea, quæ ad ejus viri laudes pertinere videntur, sub finem secundi capitis satis superque indicavimus.

Alii Sancti Episcopi, Martyres, Confessores ditionis Antiochenæ.

De Sancto Eusebio Samosateno.

175. Sanctus Eusebius Samosatenus Episcopus, ab anno 360, sub Liberio Pontifice, & Constantio Imperatore florere cæpit. Vir fuit, fide, pietate, animi fortitudine, rebusque gestis, ac tandem Martyriò celeberrimus. Ipsius operâ S. Meletius Anthiochenũ

Episcopatum, S. Basilius Cæsaræensem obtinuerũt: eisdemque apprime carus, maximoque semper in pretio fuit. Divini Meletii electionem subscriptam ab Arianis, suæque fidei creditam, eisdem Arianis, in Meletium mutato animo furentibus, eamque scripturam repetentibus, nunquam reddere voluit. Cumque ad illum Constantius Imperator dedisset literas, uti scripturam redderet; simul minatus, dexteram illi manum fore amputandam, ni pareret, vir memorabilis tabellario qui ejus generis mandata detulerat, dexteram simùl ac lævam porrigens, *utrãq;* inquit *manum eripite; nam scriptum illud non reddam, quod arianicæ pravitatis clarum est argumentum*. A Valente jussus exulare, noctu inscia plebe discessit; quò scilicet exilij nuntium, quem Samosateni, si id resciviſſent, in frusta laceraſſent, mortis periculo subduceret. Dum exul in Thracia degeret, custodiarum negligẽtiâ usus, atq; sub veste latens militari, Syriam, Phœniciam, ac Palestinam peragravit: ut Catholicis, Valentis furore exagitatis, & sanctis Dei Ecclesiis, Pastorum præ-

Theodoret.

sen-

sentiâ destitutis, atque in immensa calamitate versantibus, opem, solatiumque aliquod ferret: qua in peregrinatione plures Episcopos, Presbyteros ac Diaconos, in alienis Diœcesibus ordinavit: quod, ita ferentibus Ecclesiarum necessitatibus, vel instinctu quodam Divini Spiritus, fecisse credendus est; vel aliqua alia ratione, non satis nobis exploratâ, ejus rei facultatem nactus. Complures ad illum Basilius magnus dedit epistolas; quarum tres supra decem adhuc supersunt; extantque inter centum viginti duas Basilii magni epistolas, quas Sextilius Episcopus Alexanus latinitate donavit; quarum Baronius in suos annales, fragmenta quædam inseruit. Litteras, legatosque cum Basilio magno, & Meletio Antiocheno, totius Orientis nomine, ad Romanum Pontificem Damasum non semel adornavit; Primæ sedis solicitudinē, ad opē afflictissimis Orientalis Ecclesiæ rebus ferendam excitaturus. Antiocheno Concilio, sub annum 378, sedente Damaso celebrato, interfuit; quo in Concilio, quæ Baronii sententia est, ad plures Orientis pro-

Baron: tom. 3. pag. 237. c.

Basil. Epistol. 58.

vin-

vincias componendas legatus est constitutus. Demùm cum ejus legationis causâ, post plurimas regiones peragratas, Dolicham pervenisset, fæmina quędam, ariano furore percita, tegulâ e superiori loco demissâ, prætereũtis Eusebii caput comminuit: quo ex vulnere vir sanctissimus, paulò post obiit: morti proximus, adstantes jurejurando adstrinxit, ne ullum de fęmina illa, supplicium sumerent. Eusebium Samosatenum his laudibus Gregorius Theologus, ad eumdem scribens, est prosecutus: *Unde tuarum laudum exordium ducam? & quo nomine propriè te compellabo? An te columnam & firmamentum Ecclesiæ vocabo? aut luminare in Mundum, iisdem verbis cum Apostolo utens? aut gloriationis coronam, incolumitatem Christianorum parti salutemq; adepturæ? aut Dei donum? aut patriæ adminiculum? aut fidei regulam? aut veritatis legatum? aut hæc omnia simul, atque his plura?* Illum denique Sanctorum numero adscriptum universa colit Ecclesia.

Greg. Nazian Epist. 29.

De

De Sancto Spiridione.

176. S. Spiridion quoque, vir ea ætate magnus ac memorabilis fuit. Ex ovium custode Trimituntis Episcopus, in Cypro Insula renuntiatus, obstupescendæ Sanctitatis famâ latè per Orientem, ante Concilium Nicænum clarere cæperat: fidei robore, ac miraculorum potentia plurimum valuit: eumque in Prophetarum ordine Theodoretus collocavit: Cum filiam (quam ante initium Episcopatum ex matrimonio susceperat) nomine Irenem, vitâ defunctam, inrerrogasset, ubi nam cujusdam viri depositum dum viveret reposuisset, responsum ab eadem è sepulchri loculo accepit. In Maximini persecutione fidei causa dextrum oculum amisit, succisoque sinistro poplite ad metalla damnatus fuit. His insignis stigmatibus, Concilio Nicæno magno interfuit, ubi Philosophum quendam Idolorum cultorem, humana sapientia turgidum, & contra christianorum Religionem insolentissime disputantem; nuda fidei expositione su-

superasse fertur, & ad Christi fidem adduxisse. Cùm Triphyllius quidam Ledrensis postea, in Cypro, Episcopus Spiridionis popularis, & orator omnium ea ætate eloquentissimus, in eadem Synodo, inter disserendum, eum Marci locum adduceret *tolle grabbatum tuum & ambula* & pro κράββατον *grabbatum*, quod habet textus, reposuisset σκιμπόδιον *lectum humilem*, ardens indignatione Spiridion, de sede sua exiliit, ac *Tu ne*, inquit *melior es illo*, *qui* τὸν κράββατον *dixit*, *ut ejus verbis uti dedigneris*? Constantino Magno apprimè carus maximoque in pretio & honore fuit; qui Spiridionem identidem amplecti, ejusdemque pro fide latas cicatrices deosculari consuevit: Constantium Constantini filium ab ulcere pessimo, manus dumtaxat impositione curavit: alapâ percussus ab arroganti quodam ejusdem Constantii aulico, alteram percutienti maxillam præbuit: Verum ejus viri virtutes resque præclarè gestas, mirabilemque vitæ cursum scribendo prosequi neque otii, neque instituti nostri esse reor: ejus sanctissimi senis corpus, post tot sæcula in-

Hieronym. de Script. in Triphyllio.

incorruptum, Corcyræ honorificè adservatum, magna populorum frequentia colitur.

De Sancto Jacobo Nisibeno.

177. Sanctus Jacobus Nisibenus Patriam habuit Antiochiam Mygdoniam, quæ urbs erat in confinio Persidis sita, quam Assyrii, ac Syri Nisibin appellabant. Ante Nicænum Concilium florere cæpit: ab ineunte ætate solitudinem in arduis montibus coluit, ovinis tantùm indutus pellibus: famem crudis herbis, sitim aquâ sedabat. Somno brevissimo humi stratus utebatur; hyeme quidem sub antro; reliquis verò clemētioribus anni tempestatibus sub diò. Cùm aliquando proximorum necessitatibus ab solitudine in frequentiam revocaretur, in quasdam incidit puellas, ad fontem pannos nudis pedibus, apertoque capite lavantes; cumque illæ ad viri conspectum, neque operirent capita, neq; contractas vestes, uti virgineus pudor postulasset, demitterent; ac petulantiùs in virum lumina figerent: ad eam

vir-

virginum impudentiam corrigendam geminum edidit miraculum: fontem illicò exiccavit; & puellarum crinibus fœdam canitiem repètè induxit. Exinde patriæ ſuæ Niſibis, Epiſcopus renũciatur invitus; quo in munere, nihil de priſtina vitæ auſteritate remiſit; tùm interfuit Concilio NicænoMagno:cum fortè Cõſtantinopoli adeſſet,quo tempore Euſebiani Arium in Eccleſiam vi armorum intrudere cogitabant,author fuit,uti Epiſcopus Alexander ſeptem dierum jejunium Catholicis indiceret; cujus jejunii efficaciâ Arius creditur periiſſe. Urbem Niſibin patriam ſedemque ſuam, ſæpius diſcrimine liberavit. Cùm obſidione à Sapore Perſarum Rege ea civitas premeretur, in hoſtium manus,labefactatis muris jamjam caſura, ad ipſius preces, noctis unius ſpatio,murorum ruina divinitus eſt inſtaurata: mox in turrim ipſe conſcendens, hoſtes aſpectu primùm perculſit; inde culicum ciniphumque immiſſis nubibus, qui Equos,& Elephantos aculeorum ſtimulis feroces per caſtra & præcipites agerent, in fugam vertit: demùm inviſibilibus telis An-

ge-

gelorum manibus miniſtratis penitùs profligavit; eâque ratione urbem, metu ac periculo liberatam, aſſeruit: miraculorum famâ adeo pollēs, & clarus fuit, ut mortuorum excitator vocari vulgò conſueverit. Doctrina quoque haud mediocriter excelluit; ſcripſitque Syro Sermone ſex ſupra viginti libros, quos prætermiſſos à Hieronymo, qui tunc fortè linguam Syram non dum didicerat, Gennadius recenſet. Illo Ephrem Syrus Diaconus Edeſſenus divinarum literarum, Syræque linguæ magiſtro uſus eſt: objit denique Niſibi ſub Conſtantio Imperatore, ibidemq; intra mænia ſepultus eſt, ex præſcripto Conſtantini Magni; qui prædixerat tandiù Niſibin inexpugnabilē tutamq; futurā, quandiù Jacobum aut vivū, aut etiam vita functum intra muros haberet: & quidē poſtquàm Julianus Apoſtata, qui Conſtantio ſucceſſerat, ſancti corporis reliquias, de civitate juſſit efferri, ea urbe Perſæ potiti ſunt. Sancti Jacobi memoriam Syri, Græci, ac Latini Idibus Julii quotannis celebrant.

De

virginum impudentiam corrigendam geminum edidit miraculum: fontem illicò exiccavit; & puellarum crinibus fædam canitiem repętè induxit. Exinde patriæ suæ Nisibis, Episcopus renũciatur invitus; quo in munere, nihil de pristina vitæ austeritate remisit: tùm interfuit Concilio NicænoMagno:cum fortè Cõstantinopoli adesset,quo tempore Eusebiani Arium in Ecclesiam vi armorum intrudere cogitabant,author fuit,uti Episcopus Alexander septem dierum jejunium Catholicis indiceret; cujus jejunii efficaciâ Arius creditur periisse. Urbem Nisibin patriam sedemque suam, sæpius discrimine liberavit. Cùm obsidione à Sapore Persarum Rege ea civitas premeretur, in hostium manus,labefactatis muris jamjam casura, ad ipsius preces, noctis unius spatio,murorum ruina divinitus est instaurata: mox in turrim ipse conscendens, hostes aspectu primùm perculsit; inde culicum ciniphumque immissis nubibus, qui Equos,& Elephantos aculeorum stimulis feroces per castra & præcipites agerent, in fugam vertit: demùm invisibilibus telis An-

ge-

gelorum manibus ministratis penitùs profligavit; eâque ratione urbem, metu ac periculo liberatam, asseruit: miraculorum famâ adeo pollēs, & clarus fuit, ut mortuorum excitator vocari vulgò consueverit. Doctrina quoque haud mediocriter excelluit; scripsitque Syro Sermone sex supra viginti libros, quos prætermissos à Hieronymo, qui tunc fortè linguam Syram nondum didicerat, Gennadius recenset. Illo Ephręm Syrus Diaconus Edessenus divinarum literarum, Syræque linguæ magistro usus est: objit denique Nisibi sub Constantio Imperatore, ibidemq; intra mænia sepultus est, ex præscripto Constantini Magni; qui prædixerat tandiù Nisibin inexpugnabilē tutamq; futurā, quandiù Jacobum aut vivū, aut etiam vita functum intra muros haberet: & quidē postquàm Julianus Apostata, qui Constantio successerat, sancti corporis reliquias, de civitate jussit efferri, ea urbe Persæ potiti sunt. Sancti Jacobi memoriam Syri, Græci, ac Latini Idibus Julii quotannis celebrant.

De S. Ephræm Diacono Edessæ.

178. S. Ephraem Diaconus Edessenus natus est Nisibi. Adolescens S. Jacobum Nisibenum Divinarum literarum præceptorem habuit. Qualis & quantus vir in Ecclesia Dei esset futurus, duplici ostento Deus præmonstravit: utrumque S. Gregorii Nysseni verbis referre placet: „ Fertur (inquit) „ hæc ipse de se dixisse: sibi cùm primùm è tenera illa excederet ætate „ pueritiæ, arcana ejusmodi contigisse visa. Ipsi etenim juxta linguam „ admodum fructifera enasci videbatur vitis, quæ quidem ita excrescebat, ut universum Terrarum repleret Orbem: cuncta autem Cæli volatilia adventabant, & de fructu „ ejus comedebant: ipsa autem vitis „ quantò plures volucres decerpentes „ fructus excipiebat, tanto amplius „ racemis abundabat. Aliud præterea (prosequitur Nyssenus) quod ad „ ipsum pertinet alius, quidam testatus est; Angelorum scilicet copiam „ descendentem è cœlo, volumen intus

„ tus ac foris conscriptum detinere
„ manibus: sic verò sanctam illam col-
„ loqui visam esse aciem: Quis putas
„ volumen istud in manus accipiet?
„ Et hos quidem hunc, alios illum,
„ alios verò alium, ex præstantioribus
„ eo tempore hominibus, respondisse.
„ Deinde autem, post omnium proba-
„ tionem subjecisse: hi quidem Sancti
„ ac Ministri Dei sunt, sed hoc volu-
„ lumen in manus accipere nequeunt.
„ Cumque jam varios, ex tunc viven-
„ tibus nominassent, nec quisquam ex
„ his placuisset, demùm communi
„ omnium consensu in eam pariter
„ convenerunt sententiam, ut dice-
„ rent, à nullo alio volumen istud in
„ manus posse sumi, præter quam ab
„ Ephræm Syro. Exinde sacris ini-
tiatus, Diaconus Ecclesiæ Edessenæ cō-
stituitur; eoque in gradu, summa cum
laude diù vixit: eam vocem aliquan-
do de cælo se audisse testatur: *Surge,
ò Ephræm, & comede cogitationes, &
sententias*: cumque anxius ille animi
respondisset: Unde ego, Domine, co-
medam? iterum audivisse: *Ecce in domo
mea vas splendidum, & magnificum est,*

quod tibi suppeditabit cibum: cum verò hæc de Basilio Magno dici intellexisset, ad illum se contulit Divinis rebus imbuendum: ex eoq; tempore geminas has, magnasq; animas Ephræm, & Basilium, indissolubile necessitudinis, vinculum quàm arctissimè junxit. Sunt qui putant, à Basilio Magno Ephræm in Presbyterum fuisse ordinatum; & ab eodem Græcæ linguæ donum velut infusum recepisse: verum horum alterum falsum; alterum minùs certum, & exploratum Baronius putat. Hæreticum Apollinarem lepidissimum in modum ludibrio exposuit; nam illius quosdam libros, quibus mortalibus conimponere scelestus hæresiarcha consueverat, clàm subductos ita paginis inter se glutino compactis, implicuit, ut nulla unquam ratione legi possent: cùm verò Apollinaris, imprudens ejus rei, in publicam quandam disputationem libros illos adduxisset, in quibus spem omnem victoriæ habebat positam; cumque, negans posse se annis confectum, contentiosi sermonis ferre laborem, in medium eos libros produci, indeq; argumenta efferri jus-

sisset,

fiſſet, ridicula ſanè fabula extitit; nam prętet ſpem, libri illi adeo inexplicabiles inventi ſunt, ut nulla via legi, aut aperiri potuerint: cujus rei cauſa, tanto rubore perfuſum, tantâque correptum rabie Apollinarem ferunt, ut in morbum periculoſiùs inciderit. Pietate, fide, rerum humanarum contemptu, omniumque virtutum conſpiratione Ephræm excelluit. Sed chriſtianæ humilitatis virtutem adeò coluit, ut quominùs Epiſcopatũ ſuſcipere cogeretur, dementiã publicè ſimulaverit. Baſilii Magni laudes, in ejuſdem funere, panegyri celeberrima eſt proſecutus: cumque ea in panegyri hujuſmodi prece Baſilium compellaſſet: *deprecare pro me admodum miſerabili, & revoca me tuis interceſſionibus pater*, poſt menſem ab illius obitu migravit in Cęlum anno 378. ſub Damaſo Papa, & Valente Imperatore. Dum moreretur egregiam ad ſuos, ſanctiſſimiſq; plenam monitis, habuit orationem, quæ *Ephræm teſtamentum* inſcribi ſolet: ea in oratione inter cætera juſſit, ne ſui corporis ratio ulla, aut ullus honor haberetur: verba ejuſmodi addens:

Sozzomen. l. 3. c. 15.

Hortor vos, ut loco suavis aromatum odoris, vestris me adjuvetis orationibus, in ipsis continuè mei memoriam facientes; & inferiùs: *Comitemini me psalmis, & orationibus vestris, & assiduè pro mea parvitate offerre dignemini; & cum trigesimum diem complevero, mei memoriã faciatis: mortui enim beneficio afficiuntur, in oblationibus recordationum sanctorum viventium:* Adeò antiqua fide tenuerunt Orientales *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.* Plurima S. Ephræm scripta reliquit Syro sermone: sed non omnia statim Græcis aut Latinis innotuere: nam Sanctus Hieronymus unius tantum voluminis meminit: postea verò, paulatim è tenebris, omnia ferè Ephræm opera emerserunt, quæ Gerardus Vossius in unum collecta edidit Romæ, partim anno 1489. partim anno 1593. *Ad tantam verò Ephram venit claritudinem* (utor verbis (1) S. Hieronymi) *ut post lectionem scripturarum, publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitarentur*. S. Gregorius Nyssenus, tanti viri laudes, atque res gestas est prosecutus, sermone quodam, qui de

Professio Fidei Cath. ex Conc. Florent.

(1) *De Scriptor. Eccl. in Ephrem.*

de S. Ephræm inſcribitur apud Baron. Alius etiam, per idem tempus, Ephræm nomine in Antiocheno Patriarchatu ſanctitatis fama, inter ſolitarios excelluit: Sancti Præterea Pelagius Laodicenus, & Paulus Neocæſareæ Euphrateſiæ Epiſcopi, ibidem floruerunt.

Baron. t. 4. Ann. edit. Rom. p. 358.

De Sancto Barſa Epiſcopo Edeſſæ, aliiſq; plurimis Confeſſoribus Edeſſenis. Facinus pulcherrimum eorumdem.

179. Sanctus Barsa Episcopus Edessenus exiliis, virtute, ac miraculis ſub Valente celeberrimus, hic etiam eſt memorandus; atq; omnis ferè populus Edeſſenorum; de quibus ejuſmodi facinus pulcherrimum, ac memorabile (1) proditur. Sub annum 372. Valens Edeſſam venerat, ut celeberrimam Eccleſiam, in qua Sancti Apoſtoli Thomæ tunc reliquiæ condebantur, inviſeret: quo autem tempore, ea in urbe ille verſaretur, catholici Edeſſeni, paſtore Barſa orbati, atque ab Eccleſiiis omnibus excluſi, ſub diò ad ſacras functiones, certo quodam extra-

(1) Sozzom. lib. 6. cap. 17 Theodoret. in Philoſt. p. 679

ur-

urbem loco, frequentissimi conveniebant: id ubi rescivit sævus Imperator, tanta irâ exarsisse illum memorant, ut modesto Prætorio Præfecto alapam, quòd non dum Edessenos Catholicos dissipasset, incusserit; simul jubens, uti eosdem quamprimùm, quò minùs ad preces una convenirēt unquam, vi ferroque prohiberet; ac, si opus foret, internecione omnes extingueret. Præfectus, in cujus pectore humanitatis quædam scintilla supererat, clàm Edessenos monuit, se postridie cum armatis adfuturum, ut in illorum corpora irati Principis acerba jussa exhauriret; proinde maturè se morti, cædibusque subducerēt. Tum dicta die, magno clamore, numerosâque militum copia in eum locum movet; fore ratus, ut vacuus à præmonitis catholicis inveniretur. Verùm aliter se res habuit; in itinere accepit, catholicos ibidem veluti manere defixos, aliosque frequentissimos turmatim semper accedere, militem expectantes alacres atque securos. Ad hæc mulierem vidit puerum manu trahentem, quæ anhelanti similis, concitatissimo gradu, versus eosdem

Ca-

Catholicos incompta, & solicitudine plena ferebatur; eam ad se vocat; interrogat, quem ad locum, & cujus rei causâ tãtâ celeritate properaret? Tùm, *in societatem imminentis periculi ire se* invicta mulier respondit; quò & ipsa una cum aliis catholicis, Valentis gladium avidè expectantibus pro fide fortiter occumberet; natumque secum trahere, futurum & ipsum vulnerum participem, beatæque mortis consortem; properare autem se, ne Martyrii oblatam à Deo pulcherrimam occasionem desidia, aut tarditate corrumperet. Ad hæc obstupescens Modestus, & ab una omnes discens, intellexit quale pectus Edesseni gererent catholici, mortemq; illis voto, quam formidini esse: quare incertus animi parumper hæsit, tùm retrò gradum ad Valentem retulit; eidem rem totam exponit: addit, quicumque in eam catholicorum multitudinem intentarentur conatus, irritos illos omnes vacuosque casuros; trucidari quidem eos posse, moveri loco, publicisque precibus prohiberi, nequaquam posse: ex tanta cæde nonnisi crudelitatis invidiam Imperatori extituram:

ram: præſtare tot aliis calamitatibus obvolutos relinquere. Valens acquievit: tempeſtas illa paulò reſedit; fortiſſimique illi Edeſseni, ſpe quidem Martyrii, ſed non merito fruſtrati ſunt. Recenſenti verò mihi eorum temporum Sanctos Orientales, piaculo duxi, ſi invictam hanc Confeſsorum multitudinem innominatam prorſus prætериiſsem. Ex eo tamen Edeſsenorum numero, ab eodem Valente, per eundem Præfectum octoginta exules acti ſunt, primò in Thraciam, mox diviſim alii in alias regiones. Horum exulum Edeſsenorum anteſignani fuerunt.

180. SANCTI EULOGIUS, ET PROTOGENES, qui una in Thebaidem apud Antinoèn relegati, idolorum ibi cultores magno numero Chriſti fide imbuerunt: poſtea exilio ſoluti, Eulogius Edeſſæ poſt S. Barſam, Protogenes Carris poſt S. Vitum Epiſcopi præficiuntur; hic item Vitus Protogenis præceſſor, atque etiam Abraham ejuſdem Protogenis ſucceſſor, tùm Sanctus Antiochus Nepos, atque ſucceſſor Sãcti Euſebii Epiſcopi Samoſateni, ea tempeſtate floruerunt.

De

De Sanctis Iuventio, & Maximino.

181. SAncti Juventius, et Maximinus Juliani ſcutarij, quos impius Apoſtata excruciatos necavit; quòd illud Danielis 3. protuliſſent: *Tradidiſti nos Regi iniquo deſertori ſupra omnes gẽtes terræ*: eidemque Juliano corã objicere non dubitaſſent: horũ corpora honorificè Antiochiæ tumulata olĩ erant memoriamque quotannis Antiocheni ſolemniter celebrare conſueverant.

De Sancto Artemio.

182. SAnctus Artemius dux Exercituum, qui plurima Idola Cõſtantio imperante, comminuerat; ſub annum 359, poſt victoriam Sarmaticam ab eodem Conſtantio relatam, ejuſdem Imperatoris juſſu Sanctorum Andreæ, ac Lucæ Evangeliſtæ Corpora ex Achaja Conſtantinopolim tranſtulit. Poſtea Ægipti Auguſtalem præfecturam obtinuit: in eo munere verſantem Julianus Apoſtata, quòd Chriſtum coleret, & Chriſti cultoribus faveret, ex-

excruciatum necavit. Hujus Sancti memoriam Latini simul & Græci die 20. Octobris celebrant.

De Sancta Publia Matrona.

(1) Theodor. histor. lib. 3. c. 14.

183. S. Publia Matrona (1) nobilissima vidua, virtutum famâ celeberrima, quæ secum Virginum cætum habebat Antiochiæ; quibus cum sacras Deo laudes canere frequentissimè consueverat. Hæ Virgines præeunte Publia, si quando illàc Julianus trāsiret, Davidis illud elatiori clarioriq; voce unâ canebant: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum*; addentes subindè *similes illis fiant qui faciant ea, & omnes qui confidunt in eis*. Quæ voces cum gravissimæ Apostatæ auribus accidissent, jussit, ut Virgines illę, ipso transeunte, silerent: verùm cùm iterùm Julianus transiret, iterùm Virgines, ea jussa nihili pendentes, alacriùs canere exaudiebantur, sæpiùs repetentes: *exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*. Quamobrem ira furens Apostata, Chori magistram Publiam ad se adduci, eique per satellites

tes conteri graviùs malas, genasque cruentari jussit: neque sìc tamen illam, easq; virgines cantu prohibere potuit. Hujus Publiæ memoriam Græci quotannis solemni ritu repetunt, eamque pro Chrysostomi matre, eorum aliqui habere videntur: eandem Theodoretus Diaconissam appellat.

De Sancto Asclepa Sebasteno, aliisque Martyribus.

184. Sanctus Asclepas Sebastenus verberibus necatus à Demosthene Valentis ministro. Alii quoq; Martyres innumeri ex Antiocheno Patriarchatu extiterunt, in odium Nicenæ fidei ab Arianis occisi, tum sub Constantio, tum sub Valente. Plurimos quoq; Christifideles Juliani furor, plurimos Saporis Persarum regis, eo tempore sustulerunt. Qui de infinita Martyrum multitudine, quæ in Saporis persecutione, sub annum 344. in Perside occubuit certior fieri velit, adeat Baronium, atque scriptores illos, qui Ecclesiasticam historiam ex instituto prosequũtur.

De

De aliquibus Solitariis Antiocheni Patriarchatus.

De Sancto Simeone Stilita.

185. S. SIMEON inter celebriores ejus temporis ſolitarios habetur: habitare ſubinde ſolitus per dies plures ſuper columnam, unde Stilitæ cognomentū obtinuit. Hunc, Antiochenus Patriarcha Meletius, dum ſuā luſtraret Diæceſim, Syriæq; Monachos ſibi ſubditos inviſeret, cùm deprehendiſſet, ferreo vinculo humi defixum, accito fabro, ea quidem vincula frangi iuſſit, addens: *Amanti Deum homini, ſatis pro vinculo eſſe mentem*: verùm ab inſtituto vitæ rigore ſanctiſſimum ſolitarium dimovere minimè voluit; qui proinde in eodem, imò etiam ſeveriori vivendi genere, ætatem duxit uſque ad tempora junioris Theodoſij. Theodoret: Lib: SS. Patrum c. 26.

De

De Sancto Juliano Sabba.

186. SANCTUS JULIANUS SABBA inter Syriæ solitarios facile princeps eo quoque tempore vixit: Juliani cædem, eodem quo evenit die per ea verba prædixit: *sus agrestis Vineę Domini populator mortuus jacet*; miraculis clarus fuit: sub Valente Imperatore è solitudine in frequentiam duplici ex causâ prodijt; alterâ ut Catholicis Antiochenis, pastore orbatis omnibusque calamitatibus obvolutis præsto esset; alterâ ut palàm Eusebianis adversaretur, qui falsò sparserant in vulgus, Julianum Sabbam ipsorum societatem inijsse.

De Sancto Aphraate.

187. SAPHRAATES notissimus quoq; famâ & virtute solitarius, Valente Antiochenos catholicos premente, in horum auxiliũ admodũ senex ex Eremo prodijt. Hunc ab altò ex regia porticu videns Imperator vili pallio amictum, & concitato gradu summa

in senectate incedentem: Quo vadis? interrogavit. Ille autem sapienter, *pro tuo*, respondit, *Imperio precaturus. At qui domi te manere*, subdit Valens, *ibiq; ex Monastica lege orare par erat: recte ais Imperator*, divinus ille vir inquit, *hoc me facere opportebat, idque hactenus feci, dum oves Servatoris pace fruerentur: nunc, quoniam vehementer conturbatæ sunt, & in discrimen adductę, ne á feris diripiantur, omnia tentanda sunt, & oves conservandæ. Dic enim queso te Imperator: si puella essem intus in conclavi residens, & domus curam gerens, & paternas ædes viderē repentina flamma conflagrare, quid me tandē facere conveniret? Intus ne desidere, domusque incendium negligere, & opperiri dum flamma invalesceret, an relicto conclavi sursum ac deorsum discurrere, & aquam adferre flammamque restinguere? Hoc te profecto responsurum liquet: hoc enim prudentis, & cordatæ puellæ foret: Hoc est quod nunc ago, Imperator. Nam cum flammam in paternam domum nostram inieceris, circum cursamus, eamque extinguere nitimur.* His auditis Imperator conticuit:

cubi-

cubicularius verò quidam, qui eundem Sanctum virum indigè habuit, paulò post mente captus, & in ferventis Balnei aquam se proijciens, ibidem extinctus violati Aphraatis pœnas luit. Hæc de Aphraate admirabili viro meminisse non piguit. Eodem tempore florebant Antiochiæ præclarissimi Confessores, Flavianus, Diodorus & Acacius, quos aliquando solitariam duxisse vitam nonnulli scriptores edunt. Præterea Sanctus ille Arsacius natione Persa, qui primò sub Licinio fidei confessione clarus fuit, deindè solitudinem coluit, circa mœnia Nicomediæ; unde, divino monitus oraculo prodiit, ac surdis Nicomediensibus urbem immani terræ motu jam jã ruituram prædixit.

De Sancto Moyse.

188. SANCTUS MOYSES, qui sanctitatis famâ, & miraculorum potentiâ plurimum ad Saracenorum conversionem contulit, & quem Mavia Saracenorum Regina gentis suæ Episcopum postulavit, eaque conditione pacem cum Valente composuit.

Sed

Sed alii plurimi in Antiocheno Patriarchatu ſanctitatis famâ eo tempore floruerunt, Epiſcopi, Confeſſores, Martyres, Virgines, Solitarii, quos tamen præterire neceſſe eſt. Eorum autem nomina, quorum hactenus mentionem fecimus, ex ordine ſunt ejuſmodi.

Patriarchæ Antiocheni.

S. Euſtathius.
S. Meletius.
Paulinus.

SS. *Epiſcopi, Martyres, & Confeſſores.*

S. Euſebius Samoſatenus Epiſcopus.
S. Spiridion Epiſcopus Trimituntis.
S. Jacobus Epiſcopus Niſibenus.
S. Ephræm Diaconus Edeſſenus.
S. Barſa Epiſcopus Edeſſenus, aliique innumeri Confeſſores Edeſſeni.

SS.

SS. Eulogius, & Protogenes Episcopi, & Confessores.
SS. Juventius, & Maximinus Martyres.
S. Artemius dux Exercituum Martyr.
S. Publia Matrona.
S. Asclepas Sebastenus M.

Sancti quidam Solitarij.

S. Simeon Stilita.
S. Julianus Saba.
S. Aphraates.
Sancti Flavianus, Diodorus, & Acacius.
S. Arsacius Persa.
S. Moyses, posteà Episcopus Sarracenorum.



SANCTI EX PALESTINA,

EPISCOPI HIEROSOLYMITANI.

De S. Macario Episcopo Hierosolymitano.

189. SANCTUS MACARIUS interfuit Concilio Nicæno, seditque ibi primus, post Patriarchas: ejus tempore Sancta Helena Constantini mater Sanctam Christi Crucem invenit, & Constantinus templa plurima Hierosolymis posuit. Hic vir magnus, ac celebris, famâ, miraculis, & virtute clarissimus, obijt anno 334. cùm Silvester Ecclesiæ, Constantinus Imperij clauum regerent.

De Sancto Maximo Episcopo Hierosolymitano.

190. SANCTUS MAXIMUS successit Macario; è Tyrio conciliabulo cum S. Paphnutio sese proripuit; ne particeps videretur eorum scelerũ,

quæ

quæ ibi Eusebiani, aduersus Athanasium moliebantur. Interfuit Sardicensi Concilio: ibique pro Athanasio sententiam dixit. In ejusdem Athanasij reditu, Synodum Hierosolymis celebravit; ut majori gaudio, virum illum, post tot labores reducem & victorem amplecteretur: eundemque, quâ majori posset celebritate, in Ecclesiasticam communionem exciperet. Nicæne Fidei, ejusdemque Athanasij perpetuus cultor extitit ac defensor: falsò accusatur a Socrate, quod adversatus aliquando Athanasio suisset. Obiit anno 351, Julio Ecclesiam, Constantio Imperium administrantibus.

De Sancto Cyrillo Episcopo Hierosolymitano.

191. SANCTUS CYRILLUS successit Maximo. Post cujus obitum perturbatâ Hierosolymis Episcoporum successione, plures, Cyrilli nomine, falsi Episcopi, teste (1) Hieronymo, extiterunt; Cyrillus Euthichius, Cyrillus Irenæus, & Cyrillus Hilarius; qui omnes adulterini, atque Ariano pul-

(1) *Hieron. in Cronic. Epiphan. hæres. 66.*

vere non mediocriter aſperſi exiſtimantur. Hic tantum Sanctus Cyrillus jure ac ritè, Sanctæ Civitatis ſedem obtinuit; qui (1) ſæpè Eccleſia pulſus ſępiùs receptus, ad extremũ ſub Theodoſio Principe, octo años inconcuſſum Epiſcopatum tenuit. De hoc Cyrillo (1) ferunt, ſtolam auro multo intertextam, à Conſtantino donatam Eccleſiæ, graſſante fame, in pauperum ſubſidium vendidiſſe; emptam verò fuiſſe ab hiſtrione quodam, qui ea indutus in ſcenam ſaltuſque prophanos cum prodiiſſet, in pœnam ſacræ rei contaminatæ, extinctus repente corruit: ob eam verò rem in invidiam Cyrillum vocarunt Ariani, & in Conciliabulo Conſtantinopolitano, Epiſcopatu moverunt. Hujus Cyrilli tempore, anno 353, ſub Liberio Papa & Conſtantio Imperatore, Hieroſolymis crucem ingentem, diei luce clariorem, viſam fuiſſe tradunt, tantæ magnitudinis, ut totum illud Cęli ſpatium, quod à Calvariæ monte, ad montem Oliveti imminet, occupare videretur. De Cyrilli ſcriptis conſule Hieronymum. Cathecheſes adoleſcens, ante ſuſceptum Epi-

(2) *Hieron. deſcrip. Eccl. in Cyrillo.*

(3) *Sozzomē. lib. 4. Theodocet. l. 2. cap. 27.*

Episcopatum elaboraverat, sub annuũ 347. Hi autem eo tempore fuerunt Sancti Sanctæ urbis Episcopi. Sed in Palestina prętereа alii floruerunt plurimi.

De Sancto Epiphanio.

192. Sanctus Epiphanius Episcopus Salaminæ in Cypro, natus est in Palestinæ provincia, oppido Besanduce: scriptis clarus, clarior Sanctitate: monasticam quoque vitam diù coluit, notissimus famâ inter Palestinæ, Syriæque solitarios: vixit, (teste Hieronymo) usque ad quartum decimum Theodosij annum, atque in extrema etiam Senectute libris conscribendis operam dabat.

De Sanctis Macario, & Asterio, & Irenione Episcopo Gazzensi.

193. Sancti Macarius alter, ex prima Palestina, & Asterius ex Palestina tertia, Hunc Macarium, & hunc Asterium Eusebiani in inte-

riorem Lybiam egerunt exules, quod Sardicę ab ipſorum conſortio diſceſſerint; eorumque fraudes detexerint, & ſe adiunxerint Sardicenſi Concilio. Item IRENION Gazzenſis Epiſcopus, inter Sanctos ejus temporis Paleſtinos locum obtinet: qui Concilio interfuit Aniocheno celebrato ſub Joviano Alios quoque plurimos ſanctitate illuſtres viros, per illud tempus edidit Paleſtina: quos nobis, per otium memorare minime licuit.

SANCTI AB EXARCHATU HERACLEENSI, PRÆSERTIM CONSTANTINOPOLITANI.

EPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

De Sancto Alexandro.

Athanaſ. Sozom. Theodocet. Baron. aliiq; paſſim.

194. SANCTUS ALEXANDER interfuit Concilio Nicæno: Ario fortiſsimè reſtitit: quo tempore Hæreſiarca, Euſebianorum ſtipatus multitudine, in Eccleſiam vi militum parabat

bat irrumpere, hic S. Antistes intra eandem Ecclesiã, occlusis foribus orabat: ejusq; precibus Arius eo in itinere creditur occubuisse. Hic Alexander dùm moreretur interrogatus de successore, respondisse fertur: *si virum pie tate spectatum, aptumque simul ad docendum quæritis, Paulum eligite: sin hominẽ ad res civiles gerendas, & consuetudinem cum principibus habendam idoneum desideratis, Macedonius priores obtinet*. Obiit anno 336, sedente Marco Pontifice, Constantino imperante.

De Sancto Paulo.

195. Sanctus Paulus Alexandri successor quater exulavit: primùm quidem (Athanasij (1) magni utor verbis) *in Pontum relegatus est: posteà Constantio, ferro vinctus in Syngaram mesopotamiæ deportatus: rursum inde in Emesam; aque ex Emesa in Cucusum Cappadociæ, circa deserta Tauri abreptus est*: quo tandem loco ab impijs strangulatus occubuit. Hic, Constantinopolitana sede pulsus ab Aria-

(1) *Athanas. ad Solitar.*

nis, Romam ad Sanctum Julium Papam confugit, à quo fuit una cum Athanasio, atque Marcello Ancyrano restitutus. De hoc viro Sanctissimo plura innuimus capite primo numero præsertim nono supra vigesimum.

De Sancto Eutropio.

196. Sanctus Eutropius Episcopus Hadrianopolis in Thracia sũmis præconijs ab Athanasio laudatus, vir fuit ab omni parte laudis florentissimus. Contra nascentem Arianismum stetit fortissimè; eos qui per Thraciam transirent monere solitus, ut Eusebianos angue pejus caverent. Eusebium ipsũ Nicomediæ liberrima fortitudine identidem reprehendebat. Earum rerum causâ falsis criminibus à sceleratis sectarijs circumvẽtus actus est, exilium: & paulò post, ærumnis confectus, sub magno Constantino exul pro fide occubuit.

De

De Sancto Lucio.

197 SANCTUS LUCIUS Episcopus Hadrianopolis Arianorũ acerbissimus hostis, Sancto Etropio in Episcopatu successit. Ab jisdẽ Arianis exagitatus, primò sub Constantino, catenis oneratus pulsus est in exilium; iterùm sub Constantio, ab jisdem falso crimine circumventus, quasi divina mysteria canibus obiecisset. Sede sua motus, Romam confugit; ibique in Romano Concilio à Julio Papa cum Athanasio, & Marcello Ancyrano judicatus ac restitutus fuit. Interfuit Sardicensi Concilio; Indè Hadrianopolim reversus, ibidem ab Eusebianis, ex Philippopolitaño Conciliabulo redeuntibus, excruciatus atque necatus pro fide obijt, sub annum 348, sedente Julio, imperantibus Constantio, atque Constante. Repetantur dicta capite primo, numero trigesimo quarto.

De

De SS. *Martyrio, & Marciano.*

198. SANCTI MARTYRIUS, ET MARCIANUS eo quoque tempore, pro Fide animam Constantinopoli amiserunt. De his duobus Constantinopolitanis Martyribus hæc (1) Sozzomenus memorat: Nam cum „ alii nonnulli tùm Martyrius, & „ Marcianus obtruncati sunt; quos „ ut Pauli convictores, à Macedonio „ fertur, Præfecto traditos esse, & cum „ accusarentur tanquam auctores ne„ cis Hermogenis, & seditionis con„ tra eum conflatę, mortē fortiter op„ petivisse, quorum alter Subdiaco„ nus erat, alter, videlicet Marcia„ nus, cantor, & sacrarum scriptura„ rum lector. Horum quidem insigne „ sepulchrum est, pro mœnibus Con„ stantinopolis extructum; & velut „ Martyrum monumentum templo „ circumdatum: quod templum ædi„ ficare cępit Joannes (nempè Chry„ sostomus) Sisinius autem absolvit, „ perfecitque: qui duo postea Eccle„ siæ Constantinopolitanæ fuere Antisti-

(1) *Sozzomē. lib.* 4. *c.* 3. *edit. Paris.* 1544.

„ tiſtites: nam indignum cenſuerunt,
„ eos honore Martyrum carere, quos
„ Deus ipſe honore affecerat; quandoquidem locus, ad quem adducti, ſecuri percuſſi ſunt, cùm antea inacceſſus eſſet, a ſpectris purgatus eſt: inque eo homines dæmoniis agitati morbo liberati: atque multa alia miracula pręterea ad eorum ſepulchrum edita. Hactenus Sozzomenus.

De SS. octoginta Martyribus Conſtantinopolitanis.

199. SAncti Octoginta Martyres Conſtantinopolitani, de Cleri ordine omnes, quorum primi erant S. Urbanus, S. Theodorus, ac S. Menedemus. Hos Conſtantinopolitani catholici, ab Euſebianis exagitati, Nicomediã ad Valentem Imperatorẽ legarunt; qui tota vertendis injuriis, juſtitię remedium à Principe poſtularent: Sed Valens, ut erat Euſebianorum fautor, hoſtis Catholicorum, juſtitiæ proditor magis quàm cuſtos, ea legatione offenſus, juſſit Modeſto Prętorio Præfecto,

fecto, ut Legatos ad unum omnes occideret: Modestus ad declinandam crudelitatis invidiam, noluit palàm supplicium de illis sumere; sed navi impositos, quasi in exilium pelleret, in medio mari igne omnes extinxit. Memoratur etiã inter Martyres Exarchatus Heracleensis S. Philippus Episcopus Hadrianopoleos. Alii quoque innumeri memorantur, qui per illud tempus pro recta fide fortiter ceciderunt: Quamplurimi etiam Confessores invicti, omniq; sanctitatis genere inclyti, cujuscumque ætatis, atq conditionis extiterunt, quos recensere omnes longum esset.

SANCTI AB EXARCHATU PONTICO.

200. EXARCHATUS PONTICUS Orientalis Ecclesiæ pars nobilissima semper fuit; longè tamen majorem lucem, famamque tulit à Theologo Nazianzeno, Basilio Magno, atq; utriusque beata cognatione; quæ ad illum Exarchatum suam referebat originem: quæ mihi gemini Doctoris cogna-

gnatio, genus electum videri solet, gens sancta, semen cui benedixit Dominus. Quare de Sanctis Pontici Exarchatus satis me dicturum puto, si geminam hanc cognationem paucis complectar.

COGNATIO S. GREGORII NAZIANZENI THEOLOGI.

201. SANCTUS GREGORIUS THEOLOGUS Patrem habuit ejusdem nominis Gregorium patriâ Nazianzenum. Hic ex Nonna uxore sanctissima duos filios, Theologum ipsum, atque Cæsarium, filiam unam Gorgoniam nomine suscepit: & hi omnes, Vir Uxor, filii atque filia in Sanctorum numerum sunt relati.

De S. Gregorio Patre.

202. GREGORIUS Pater è Nazianzo, in heresim hypsisterorum juvenis incidit; tùm ea peste solutus; Nonnam duxit uxorem: Inde rectissimâ fidei virtutumq; via incedẽs, patrię suę, Episcopatũ obtinuit. Episcopus in Aria-

Arianismum parumper declinare visus est, subscriptione formulæ Ariminensis; sed ab illo casu etiam erectus, Gregorii filii præsertim opera, sanctitate in posterum vitę tempus eminuit; sanctusque centenarius propè obiit anno 373. ejusq; memoriam quot annis Ecclesia celebrat kalend. Januarii.

De S. Nonna Theologi Nazianzeni Matre.

203. S. Nonna Mater, plusquam virilem animum gessit cum muliebri sexu conjunctum: omnibus virtutibus domi clara, pollensque fuit; quas virtutes Nazianzenus filius scriptas posteritati commendavit. Juncta viro, Mulierem illam fortem, quam Salomon (1) depinxit, omnibus virtutis coloribus expressit. Prolem aliquam à Deo instanti prece cum postulasset, eandem divino cultui, si exorasset, consecratura; susceptaram se filium, eidemque Gregorii nomen fore, Deo revelante, prænovit. Natum deinde Gregorium, illicò sacras super aras imposuit; gestientem-

(1) *Proverb.* 31.

temque Infantulum, voti memor, Supremo Numini dedicavit. Eundem adolescentem Athenas navigantem, naufragii periculo, cujus divinitùs fuerat monita, fusis ad Deum precibus, liberavit; visa cuidam adolescenti (qui cum Nazianzeno in eadem erat navi comes itineris, atq; periculi) fluctuantem ratem manu tenere, ac in portum salvam deducere. S. Cæsarium filium intrepida nec atrata, pro gemitibus psalmos effundens, ad sepulcrum deduxit: S. Gorgoniæ quoque filiæ, eodem æquabili animo pressit oculos. Cùm gravi morbo pertentaretur, & ab omni cibo, stomachi fastidio abhorreret, per somnum sibi visa est Gregorium filium videre, candidos panes signo Crucis notatos, matri afferentem, quibus nutrita repentè ac planè convaluit. Tandem Cæsario filio, mox filiâ Gorgonia, demum Gregorio viro vita defunctis, ipsa etiã pænè centenaria, postquam bonorum suorum pauperes instituisset hæredes, diem obiit; eodem quo vir anno 373. die 9. Mensis Augusti, qua die tùm Græci, tùm Latini ejus memoriam quotannis celebrant.

De S. Cæsario Theologi Nazianzeni fratre.

204. S. CAESARIUS Gregorii Theologi frater natu minimus fuit. Adolescens studiis Philosophiæ, Geometriæ, Astronomiæ, & Eloquentiæ in Alexandrina urbe operam dedit; præsertim verò Medicinæ, quâ in arte maximè excelluit. Alexandriâ Constantinopolim se contulit: & ut erat virtutibus, doctrinisque omnibus ornatus, famâ etiam clarus; tùm divina quadam indole, morum suavitate, elegantique admodùm forma præditus, illum regia Urbs omnibus honoribus excepit: nam præter alias amoris, ac existimationis significationes, eadem regia Urbs, authoritate publica legationem adornavit ad Constantium Imperatorem, qui per illud tempus Mediolani degebat, à Principe exposcens, uti Cæsarium summum virum, Novæ Romæ Civitate donaret; in ordinem Sanatorium adscriberet; simul ejusdem Urbis Medicum constitueret: quibus omnibus Imperator

rator libens annuit. Deinde Cæsarius, Gregorio fratre invito, totâque cognatione dolente, juvenili quodam ductus ardore gloriæ, in aulam Apostatæ Juliani, regii Medici suscepto munere, sese infudit: mox tentatus ab impio Desertore, ut à Christo se ad Idola converteret, invicto animo repugnavit; & ob eam rem Aulæ se subduxit. Sublato Juliano, ingenti gloria in aulam, à Joviano vocatus rediit. Joviano defuncto, à Valentino, & Valente, quibus Imperium obvenerat, certatim quæsitus est. Mansit apud Valentem, Augusti Medicus, & Bithyniæ Quæstor factus: dum per caussam ejus muneris, Niceæ, quæ Bithyniæ, ut sepè diximus, urbs erat celebris, versaretur, memorabilis terræ motus eam urbem funditus evertit; à qua ruina divinitùs ereptus penè solus, incolis ferè omnibus oppressis, incolumis evasit. Postea parentum hortationibus, frequentibusque Gregorii patris, ac Basilii Magni literis pressus, ab aulæ strepitu, ad perfectioris vitæ institutum sese contulit: demùm, ineunte anno 369 diem sanctis-

ſimè obiit. Ejus funera Gregorius frater, celeberrima oratione, proſecutus eſt. Græci die 9. Martii; Latini verò 25. Februarii quotannis S. Cæſarii memoriam celebrant. Huic Photius Dialogos tribuit, qui in Bibliotheca Patrum Cæſarii nomine inſcribuntur, verùm cùm neque apud Hieronymum de Cæſarii ſcriptis mentio ulla ſit, neque apud Gregorium, qui certè fratris ſcripta tacitus minimè prætериiſſet, ii Dialogi falsò, credo, ad hunc Cæſarium referuntur authorem.

De S. Gorgonia Theologi Nazianzeni Sorore.

205. S. GORGONIA Gregorii Theologi, atque Cęſarii ſoror primogenita, ſtirpe ſancta, beatoque nata ſemine, virtutes partim ab radidice tulit, partim cum nutricis lacte ſuxit. Poſtquam ad provectiorem pervenit ætatẽ, eam parentes viro junxerunt, quem alii Vitalianum, alii Meletium nominant. Præclaras Gorgoniæ virtutes, à Gregorio fratre accepimus: gravitate, atque modeſtiâ tantâ

fuit,

fuit, ut risum edere, etsi brevissimũ, religioni sibi duceret: adeò precibus intenta, ut callum genibus obduxerit: de fidej mysteriis verba facere non audebat, dicere solita, mulieres, arcana Religionis in simplicitate potius cordis adorare, quàm de illis curiosius loqui debere. Adeò se totam Deo crediderat, ut cum aliquandò periculosiùs cecidisset, nec mediocre incommodum tulisset ex eo casu, Medicorum fomentis uti noluerit; satis remedii, auxiliique in Deo sibi fore confidens; cujus vivacissimæ fidei virtute, repentè, ac planè convaluit. Virum atque natos, familiamque totam Deo, justitiæq; arctissimè mancipavit. Tandem virtute magis, quàm annis gravior, paulò post obitum Cęsarii fratris è vivis excessit. Morienti Nonna mater, atque Gregorius frater adstitere: idemque Gregorius ipsius laudes celebri oratione complexus est. Sanctæ hujus fœminæ memoriam Græci simul atque Latini, die nona Decembris solemni ritu quotannis repetunt.

De aliis quibusdam, Theologo Nazianzeno sanguine junctis.

206. GORGONIAE sororis VIRUM S. Gregorius summis laudibus effert, dignũq; tantę fęminæ consortio vocat, eidemq; non vitę tantùm, sed virtutis præsertim societate, conjunctum fuisse memorat: Ab hoc Viro Gorgonia tres filias habuisse fertur; ex his unam nomine Alipiennam Gregorius celebrat, summisque præconiis exornat; quam Nicobulo adolescenti ornatissimo, pollenti literis, atque armis, domi, militiæque claro, matrimonio junctam fuisse accepimus.

De Nicobulo, Gregorii neptis marito.

207. EXcelluit hic NICOBULUS corpore, animo, genere, atque fortuna. Aulam primùm Imperatorum, mox militiam secutus, non vulgarem sibi gloriam in bello præsertim Persico comparavit. In dicendi arte, atque Poesi non mediocrem obtinuit laudem: publica munera

nera obiit plurima, ſed invitus; tùm quòd intentus æternitati exiſtimaret, rem eſſe periculi plenam, gerere Rempublicam; tùm quòd ad id vitæ genus, quod minimè negotioſum eſt, ingenio ferebatur: eàm ob rem Gregorii Nazianzeni, atque Helladii Cęſareenſis Epiſcopi operâ, perpetuam è rebus publicis miſſionem obtinuit. Cùm verò morùm ſuavitate præſtaret, magis verò Chriſtianarum ſtudio, & conſpiratione virtutum, illum Gregorius Theologus, reliquis conjunctis extinctis omnibus, in paucis carum habuit; eundem vocare ſolitus filium ſuum dilectum, ſuæque baculum ſenectutis. Epiſtolæ exſtant plurimæ Gregorii ad Nicobulum; & Nicobuli ad Gregorium: In una ex his plurimùm jocatur Nicobulus de brevi corpuſculo uxoris Alipiennæ, Gregorii, ex Gorgonia ſorore, neptis: qua occaſione arrepta, Gregorius in ejuſdē neptis ſeſe laudes effudit, reſcribens Nicobulo, Alipiennam, etſi brevis eſſet ſtaturâ, giganteâ tamen eminere virtute. Quas habemus ſuperſtites Gregorii Nazianzeni Epiſtolas, huic

Nicobulo debet posteritas; qui ab eodem Nazianzeno, quot quot inveniri poterant enixis precibus obtinuit, easdemque, temporum invidiæ subductas, ęternitati mandavit. Hactenus de Gregorii Nazianzeni Theologi cognatione, quam strictiori compendio contractam subiicio.

S. Gregorius Nazianzenus Pater.
S. Nonna Mater.
S. GEGORIUS NAZIANZENUS THEOLOGUS.
S. Cæsarius Frater.
S. Gorgonia Soror.
Alipienna ex Gorgonia Sorore Neptis.
Micobulus Alipiennæ Vir.

COGNATIO S. BASILII MAGNI.

208. S. BASILIUS MAGNUS Aviam habuit sanctam Macrinam: patrem verò ejusdem nominis Basilium Macrinæ Aviæ Filium. Hic Basilius Pater, ex Emmelia uxore sancta decem filios, masculos quinque, totidem fœminas, omnes sanctitate inclitos suscepisse proditur. Horum om-

omnium Macrina, quæ Thecla etiam vocari olim solebat, primogenita fuit. De reliquis quatuor filiabus, id unum accepimus, sanctitatem maximè coluisse; sed earum quæ fuerint nomina, gesta, vitæque institutum haud satis proditum est. Inter masculos Magnus Basilius major natu perhibetur: Basilio proximum Naucratium fuisse arbitror: S. Gregorius Nyssenus habetur tertius: de quarto Basilii fratre, quod puer fortasse decesserit, apud veteres memorias mentio nulla est. Omnium natu minimus fuit Sanctus Petrus, qui Basilii Patris *decimus filius*, in antiquis monumentis appellatur. De singulis autem hujus beatæ stirpis generosis germinibus pauca cursim memorabo, ad gloriam illius, qui mirabilis est in Sanctis suis; atque ad solatium populorum Orientalium, qui præter cæteras gentes, de Basilii cognatione, deq; Sanctorum præstantia, & multitudine gloriari jure optimo possunt.

De S. Macrina Basilii Magni Avia:

209. S. Macrina Basilii Magni Avia, heroum partu beata, & Matrum omnium, Sanctorum prole, felicissima fuit; tot, tantosque complexa Nepotes, ferè

(1) *Virgil. Æneid. lib. 6*

Omnes (1) Cælicolas, omnes supera alta tenentes.

(2) *S. Basil. Epist. 75.*

Nata (2) Neocæsareæ in Ponto, ibidem à teneris in omnium virtutum genere à S. Gregorio Thaumaturgo ita fuit instituta, ut nunquam deinde ab incæpto sanctitatis cursu vestigium deflexerit. Provectior ætate facta virum habuit genere, atque pietate parem; cujus tamen sanctissimi viri nomen desideramus. Pro Chisti fide gravia uterque passus: namque in Maximiani persecutione, bonorum omnium jacturam subierunt: mox extorres, atque per Ponticas solitudines errabundi, in inviis mõtibus septẽ ferè annos latitarunt: quo tempore quantam eorum divina Providentia gereret curam, non semel experti sunt. Cum aliquando in summa ciborum penuria car-

(3) *S. Greg. Nazianz. or. 20.*

carnium desiderio, ipsorum fames pertentaretur, Cervi ex insperato in summo montis vertice apparuerunt, qui cùm eisdem occidendos spontè se, ac faciles permisissent, horum carnibus vitā diù tolerarunt. Pacatis rebus, in Patria reduces filium procrearunt, cui Basilii nomen imposuere, & reliquum vitæ tempus ingenti virtutum fama, sanctissimè peregerunt. Sancta Macrina ex Basilio filio, Basilium Magnū nepotem vidit, cujus ætatem (1) primam, sanctissimis moribus formavit, eisq; virtutum coloribus imbuit, quos ipsa olim puella, à S. Gregorio Thaumaturgo Magistro suo hauserat. Tandem gravis annis, gravior virtutibus meritisque, diem obiit. Cujus memoriam die 17. Januarii Latini recolunt. S. Macrinæ vitam scripsit S. Gregorius Nyssenus, ejusdem ex filio Nepos.

(1) *S. Basil. 65. 79.*

De S. Basilio, Basilii Magni patre.

210. S. Basilius Pater natus creditur Neocesareæ in Ponto, atq; ibidē educatus, non in sinu tantùm, sed in pietate, ac virtutibus Macrinæ ma-

tris.

tris. Eloquentiæ ſtudiis adoleſcens operam dedit; qua in arte excellentiſsimus evaſit. Eruditionis quoq; ingentem famam obtinuit. Prudentiâ morumque integritate tantâ fuit, ut vulgò in Ponto, Pater virtutis, atque conſilii diceretur: ſed in primis ſanctitate præfulſit, miraculis etiam clarus. Sanctam Emmeliam Virginem præclariſsimam, ætate, genere, atq; fortuna, magis verò virtutibus florentem, uxorem duxit. Ex illa, uti diximus, numeroſam prolem ſuſcepit, atque in primis Magnum Baſilium; cujus generoſa indole quàm maximè delectabatur. Is cùm aliquando puer in morbum periculoſiùs incidiſſet, Chriſtus per ſomnum Baſilio parenti pro nati ſalute, validis precibus inſtanti apparuiſſe fertur, atque dixiſſe: *Vade filius tuus vivit*: eâq; hora puer morbo ſolutus planè convaluit. Primus, Baſilii filii in pietate, ac literis, (in quo utroque genere excelluit) Magiſter fuit: nam & capacem pueri animum virtutibus formavit; & acerrimum ejuſdem ingenium humanioribus diſciplinis domi excoluit. Demùm ætate

ætate maturus, meritis onustus, Sanctorum prole beatissimus anno 344. sub Julio Papa, & Constantino Imperatore sanctissimè obiit.

De Sancta Emmelia, Basilii Magni Matre.

211. SA. Emmelia Magni Basilii Mater nobili genere in Cappadocia nata, Patrem habuit cui etiam Basilio nomen erat. A teneris vehementissimo Virginitatis amore capta, hunc pulcherrimum corporis florem, ei, qui pascitur inter lilia, perpetuò consecrare statuerat. Verùm Deus, qui stirpem illam generosissimam, non ad florem tantùm, sed ad fructus uberrimos destinaverat, virgineo contentus animo fuit. Namque Emmelia, primo juventæ suæ flore, parentibus conjunctisque omnibus orbata, ut pudorem in tuto collocaret, Virum ducere coacta est; in quo, non tàm thalami consortem, quàm orbitatis solatium, & custodem honestatis haberet. Omnibus post habitis, certatim illam petentibus, Basilio, de

quo

quo superiori numero diximus, uxorē se junxit: ex quo filias quinque, totidem natos, inter quos Magnum Basilium peperit. Basilio Viro defuncto, filium, cui Petri nomen accessit, posthumum edidit. Deindè in Virginum cœnobium, Macrinæ filiæ operâ fundatum, se recepit. Ipsius curâ reliquiæ quadraginta Martyrum Sebastenorum, solemni pompa in quandam Ecclesiam, non longè ab eo cœnobio sitam, translatę fueruut: quos Sanctos Martyres Sebastenos, tota Basilii Magni familia apprimè coluit. Demùm anno 372. sub Damaso Papa, atque Valente Imperatore, ætate, ac meritis gravis, in eodem Virginum cœnobio inter manus filiæ Macrinæ, ac Petri filii, animam Deo reddidit. Ejus corpus in eadem Sanctissimorom Martyrum Ecclesia, juxta virum sepultum est. S. Emmeliæ, ejusque Viri Basilii memoriam Ecclesia repetit die 34. Maii. Basilius Magnus Matrē amissam adeò doluisse fertur, ut in morbū inciderit.

Sanctæ Emmeliæ parentem, Basilium quoque nomine, Martyrem fuisse, pręclarissimi Scriptores memorant,

rant, à Licinio pro Christi fide occisum: ita Mulierum hæc felicissima, Parente Martyre nata; Sancto Viro juncta; Sancta & ipsa; Sanctos plures Ecclesiæ peperit; plura sanctitatis Sydera Cœlo addidit.

De S. Macrina Basilii M. Sorore.

212. Sancta Macrina, sivè Thecla Basilii Magni Soror primogenita tantæ fuit sanctitatis atq; prudentiæ, ut fratres reliquos atq; sorores ad omnes virtutes, exemplo consilioq; formaverit. Puellam pater cuidam desponderat; sed sponso, ante initum cõjugium, vitâ defuncto, virginitatem perpetuò coluit. Basilio Magno fratri, exactis studiis ob scientiæ partam gloriam aliquantulum inflato, rerum humanarum contemptum inspiravit; ferocemq; juvenis animum tantâ dexteritate tractavit, ut brevi ad Christianæ humilitatis studiũ inflexerit. Ita Macrina sorore duce, atq; Magistra, Basilius rebus humanis nuntio remisso virtute magnus evasit. Apud Iborim exiguam Ponti urbem, Virginum Cænobium in-

instituit, cui etiam præfuisse traditur; ubi Emmeliæ Matris, quæ in id cœnobium se receperat, senectutem levavit: & morienti extrema præstitit pietatis officia. Parentum, fratrumq; Naucratii, & Basilii obitum invictio animo tulit.

Cùm post obitum Basilii, Gregorius Nyssenus longè absens ad illam invisendam animum adjecisset, ut sororis aspectu, amissi fratris desiderium leniret: eo iter faciente, Macrina in morbum incidit; eamq; Gregorius adveniens, morti proximam invenit; humi jacentem, super asserem cilicio stratum: sermones invicem prolixos habuerunt, qui inter ejusdem Nysseni opera supersunt, eoque tractatu, qui *de Anima, & Resurrectione* inscribitur, continentur. Duræ quædam ibi, atque asperæ, quasi à Macrina prolatæ leguntur sententiæ, ab hæreticis intrusæ, quarum causâ, ipsum Nyssenum, in suspicionem olim Originestæ, incidisse crèdiderim: Macrina paulò post, Gregorio fratre præsente, signo Crucis munita, inter preces afflavit animam. Ejus vitam idem Nyssenus conscripsit: inter cætera memorat de sorore Sãcta,

quod

quod perpetuò gestaverit ferream crucem, nudo pectori adhærentem, qua parte cordi est proximum: atque annulum in ea Cruce fuisse, atque in annulo veræ Crucis particulam inclusam Cujus sacræ rei hæres, ipse Gregorius fuit. Macrinæ corpus in Ecclesiam Sebastenorum Martyrum solemni funere deductum, ibidem cum parentibus sepultum est. Sanctæ hujus memoria die 19. Julii celebratur.

De Naucratio Basilii M. Fratre.

213. NAUCRATIUS secundus Basilii Frater, in lucis usuram prodiit anno post Christum natum 329. sub S. Silvestro Papa, & Constantino Magno Imperatore; forma, ingenio, vigore corporis animique, præ cæteris Fratribus pollebat. Adolescens præclara, publicaque ingentis animi documenta edidit; tantamque erectæ indolis laudem, prima ætate obtinuit, ut in maximam familiæ spem crescere videretur. Verùm Divino afflatus numine, institutum inanis gloriæ atque fortunæ cursum, meliori consilio rupit.

Nam

Nam dùm secundum supra vigesimum ætatis annum ageret, rebus humanis repentè vale dicto, in quandam solitudinem, quæ à cænobio Macrinæ sororis trium dierum itinere distabat, se contulit; ut curis omnibus solutus uni Deo, & æternitati vacaret: cujus consilii socium atque participem habuit quendam domesticum sibi carum, nomine Chrysaphum. In ea solitudine duos senes, fractis viribus afflictâque valetudine invenit, in extrema rerum omnium inopia, ægrè vitam trahentes. Horum curam Naucratius suscepit, lætus quòd cum solitariæ vitæ institutis officia posset charitatis conjungere. Venationi, in qua excellebat, identidem operam dabat; tùm ut inde haberet quo senes illos reficeret; tùm ut vim juventæ ardẽtissimam, labore corporis frangeret; & beatæ contemplationis otium, aliquo exercitationis genere temperaret: ita partìm orando, partim legendo aut meditando, partìm etiam venando, quieti laborem intermiscens, Cælo proximior, longè à populari strepitu, quinque annos generosus adolescens cõsumpsit. Eo spa-

tio

tio temporis elapso, res accidit multò lacrymabilis: nam cùm quadam die de more ad venationem exiisset, nec inde reverteretur, quidam illum, & fidum simul Chrysaphum (quo casu incertum est) invenerunt extinctos. Ejus rei fama funestissima, quæ omnium animos percussit, ad aures Emmeliæ matris, & Macrinæ sororis pervenit: Mater eo nuntio graviùs icta, voce repentè interclusa, sensibusque relicta, semianimis concidisse fertur: fortiùs fratris casum Macrina Soror excepit; nam & imperturbata ipsa stetit; & jacentem Matris animum, dictis plusquam virilibus erexit. Naucratii obitum in annum 357 incidisse credendum est: ejusdem casum acerbissimum, atque virtutes egregias, Nyssenus Frater exequitur.

De S. Gregorio Nysseno Basilii M. fratre.

214. Sanctus Gregorius tertius Basilii Frater, natus est anno à reparata salute 330. Puer in Eloquentiæ studium incubuit. Mox ad Ecclesiam accedens, Lectoris munus adolescens obivit. Inde, per quandam juve-

 nilis

nilis animi levitatem, Ecclesiasticæ vitæ institutum, non sine dedecoris nota deserens, ad artem Rethoricam docendam se contulit; sed ob eam rem seriò à conjunctis atq; amicis, præsertim (1) à Naziãzeno castigatus, iterum in Clericorum ordinem rediit. Sunt qui putent, Gregorium, primo juventæ robore, uxorem habuisse nomine Theosebiam, eâque defuncta, in Monasterio Iboris cum Basilio fratre monasticam vitam coluisse; Sed ejus rei fides sit penès authores. Exinde cum ad provectiorem pervenisset ætatem, Episcopus à Basilio fratre ordinatus, Nyssæ quæ Cappadociæ urbs erat, ab ea Nyssa, quæ in minori Asia est longè diversa, invitus præficitur: indeque ipsi, Nysseni cognomentum accessit. Episcopatum ingenti laude gessit. Pro Religione, ac Nycæna fide, adversus Arianos pugnavit acerrimè; qui illum ea causâ malis omnibus exagitarunt. Ab obscurissimo quodam homuncione, Philocaris nomine, falso crimine insimulatus, quòd Ecclesiæ argentum dissipasset, eo prætextu à Demosthene culinæ Imperialis Præfecto, Basilii M. hoste acerbissimo,

Nazianzen. Epist. 43.

bissimo, ad vincula quæsitus est. Ejusdem Demosthenis operâ, Ariani ex conciliabulo Ancyrano Nyssam transeuntes, ibidem conventiculum adversus Gregorium instruxerunt; eoque in conventiculo depositus, quasi non ritè ordinatus fuisset, plures annos, ab Ecclesia sua exul, ac fugitivus erravit. S. Basilii fratris, ac Sanctæ Macrinæ Sororis funera deduxit. In suam Ecclesiam post ingentes labores reversus, commisso sibi populo Sanctissimi Episcopi, atque parentis officia omnia præstitit. Concilio Antiocheno, anno 379. celebrato interfuit; eiq; ejusdem Concilii Patres negotium dederunt, ut Hierosolymitanam Ecclesiam, eo tempore distractam componeret; simul daret operam, ut fidei regulam, à Damaso Papa in Orientem missam Arabiæ ac Palestinæ populi subscriberent. Iter Hierosolymã curru publico (piissimo Gratiano jubente) usus, psalmos jugiter canendo, sacrasque preces intermiscendo confecit. Ejus itineris occasione scripsisse fertur prolixam illam orationem, quam totam referunt Magdeburgenses, centuria 4. cap. 10. qua

oratione, pluribus locis affirmare videtur, peregrinationes plùs detrimenti ac periculi, quàm utilitatis habere: quibus locis iidem Hæretici abutuntur ad peregrinationes ad loca Sancta reprehendendas: qua de re consulat lector Bellarminum in controversiis lib. 3. de Sanctis. Constantinopolitano quoque Concilio generali secundo adfuit. Cùm iterùm Constantinopolim venisset tres ibi luculentissimas orationes pronuntiavit: primam contra Anomæos, quam (1) Theodoretus orationem de Abrahamo vocat: alteram in funere Pulcheriæ puellæ, Theodosii filiæ: tertiam in funere Æliæ Flaccillæ Augustæ, ejusdem Theodosiii Magni uxoris, cujus Sanctissimæ fœminæ obitus omnes toto Orbe Catholicos luctu atque mœrore complevit. Helladii Cæsareensis Episcopi, Basilii Magni successoris inurbanitatem, christianâ humilitate ac patientia superavit. Demùm longævus annis atque meritis; famâ, ac virtute celebratissimus, post parentes & fratres omnes vita functos, omnium ultimus diem sanctissimè obiit. Pro comperto est, Nyssenum

(1) *Theodoret. Dial.* 1.

senum ultra annum 394 ætatem suam produxisse; sed post illud tempus, quo anno vitam clauserit, incertum est. Illum Græci Patrem Patrum vocarunt: Theodosius Magnus veluti centrum Catholicæ societatis in Ponto constituit: Basilius frater de Nysseno affirmavit, totius Mundi regendi capacem animum habuisse. Omnes denique memoriæ veteres, Gregorium Nyssenum summis laudibus in Cælum ferunt. De illius scriptis vide Bellarminum, l'Abbè, aliosque de Scriptoribus Ecclesiasticis ex professo tractantes. Illud obiter hic notandum reor, hæreticos, inter Nysseni scripta, Origenis errores aliquot infudisse; ob eam rem in suspicionem Origenistæ vocari potuisset; nisi spectata tanti viri Sanctitas atque fama, ejusdem quoque alia scripta, quibus non semel Origenis impugnantur errores, illum ab ea suspicione penitùs liberarêt. S. Germanus quoque Constantinopolitanus Episcopus, Nysseni, eadem in re Apologiam, teste Photio scripsit. Sanctissimi hujus Viri memoriæ, Græci decimam Januarii diem, Latini post Usuar-

di tempora nonam Martii consecrarunt.

De Sancto Petro Basilii M. fratre natu minimo.

215. Sanctus Petrus Basilii frater natu minimus, post patris funera, è sinu viduæ matris, proles posthuma prodiit anno 349. Puer in sinu ac moribus Macrinæ sororis educatus, ab eadem humana omnia contemnere, divina dumtaxat in pretio habere didicit. Itaque à prima ætate, posthabito scientiarum fastu, ad studium Christianarum virtutum animum appulit; eo quidem successu, ut non dùm annis adolescens, vir tamen sanctitatis robore videretur; ac ætate deinde provectior, Basilio Magno fratri, virtutum fama minimè concesserit. Ingenio summo fuit, atque indole ad omnia expeditissimâ; ut artis etiam opera, quæ manu fieri solent, nullo Magistro elegantissimè perficeret. Exacto adolescentiæ cursu, Monachorum curam in Monasterio apud Iborim suscepit. Iboris perexigua urbs erat in Ponto, quæ

suum

suum quoq; habebat Episcopum: eam propè urbem, Basilii familia prædia possidebat amplissima: in quibus prædiis, ad ripas Iris fluvii duo cœnobia, virginum unum, virorum alterum, Emeliæ, Macrinæ, ac Basilii sumptu & opera, erecta fuisse accepimus. Confluentium Virginum curam Emmelia, & Macrina susceperunt; virorum autem primò ipse Basilius Magnus, qui tunc Monasticæ vitæ instituta, & leges amplificavit: deinde, Basilio ad Episcopatum vocato, Petrus ipse in eo munere successit; in quo non minori cum laude sanctitatis, atque prudentiæ plures annos versatus est. Per illud tempus, cùm dira fames universam Ponti regionem invasisset, Petri charitas, ex angustiis Monasterii finibus, sese in populorum subsidium effudit; atque immensas pauperum multitudines fame pereuntes abundè aluit. Illum deinde Basilius Frater Cæsareæ Presbyterum ordinavit; ejusque operâ consilioq; in Ecclesiæ rebus gerendis plurimùm usus est. Petrus Presbyter factus, ab amica solitudine non discessit, nisi ad breve aliquod tempus, prout

Basil. Epist. ad Maritim.

ſe occaſio, aut neceſſitas daret. Eundem à Baſilio (1) fratre cum literis ad maritimos miſſum legimus: ſed quinam hi fuiſſent maritimi, an Occidentales, ut Baronius putat; an alii populi ad Euxinum mare poſiti, uti Blondellus & quidam etiam Catholici juniores contendunt, res mihi omninò incerta videtur eſſe. Denique poſt infamem Euſtathium Baſilii hoſtem acerbum, Sebaſtenum Epiſcopatum obtinuit. Inde ad Concilium Conſtantinopolitanum Generale ſecundum ſe contulit. Quæ autem poſt illud tempus geſſerit, & quo tempore mortem objerit, ſatis exploratum non habeo. Petri virtutem, & ſanctitatem tùm ipſe Baſilius Magnus, tùm Gregorius Nyſſenus fratres, tùm alia paſſim vetera monumenta ſummis laudibus efferunt. Ruffinus (2) Gregorium, atque Petrum cum Baſilio Magno fratre ita confert ut affirmet, Gregorium verbo & doctrinâ, Petrum verò fidei operibus Baſilio pares fuiſſe.

(1) *Ruffin. l. 2. cap. 9.*

Alii

De aliis Basilio M. sanguine junctis.

216. ALii etiam aliqui memorãtur Basilio Magno sanguine jũ-cti, qui sanctitatis famâ eo tempore floruerunt. S. Gaudentius (1) Episcopus Bressensis quasdã Basilii ex sorore neptes summis præconiis extollit, easq; Cæsareæ, in quodã Virginũ Cænobio, omnium virtutum genere tradit excelluisse; atque aliarum fuisse moderatrices ac Matres: ex quo Gaudentii testimonio, aliquam saltem ex Basilii sororibus nupsisse, ac filias suscepisse conjicimus. Avunculum quoque, siue Patruum (2) Gregorium nomine Basilius habuit; meritis morumque suavitate, atque studio pacis ab eodem Basilio laudatissimum. Alium sibi naturæ vinculo junctum Pemenis(3)nomine, commendat Basilius, cum quo a puero educatum se memorat. Hunc, postquam ex ipsius opera non parum utilitatis in Provinciæ suæ administratione cæpisset, Satalis in Armenia Episcopum ordinavit. De quadam etiam Matrona ornatissima, Palladia nomine, tanquam de

(1) *Gaudent. serm.* 17.

(2) *Basil. Epist.* 44. 45. 49.

(3) *Basil. Epist.* 83. 313.

(1) *Idem.*

de consanguinea, in suis (1) epistolis mentionem facit honoris plenam, eandemque Matrem appellat. Atque hæc fuit Basilii Magni fælix, fortunataque cognatio, quam etiam compendio strictam hic adjungo.

S. N. N. avus paternus.

S. Macrina avia paterna.

S. Basilius avus maternus Martyr sub Licinio.

S. Basilius Pater.

S. Emmelia Mater.

S. Macrina Soror primò genita tùm Sorores aliæ quatuor Sanctitate insignes, quarum nomina desideramus.

S. BASILIUS MAGNUS CÆSAREÆ EXARCHA.

Naucratius frater secundò genitus.

S. Gregorius Nyssenus Episcopus frater tertiò genitus.

S. Petrus Episcopus Sebastenus omnium fratrum atque sororum natu minimus.

Gregorius avunculus, sive patruus.

Neptes quædam ex sorore, sanctitate

ctitate præstantes, quarum meminit S. Gaudentius Episcopus Bressensis, & quarum nomina ignoramus.

Pemenes Satalis in Armenia Episcopus, quem sanguine sibi junctum Basilius ipse ordinavit.

Palladia Matrona Basilii consanguinea.

SANCTI VIRI AB EXARCHATU ASIANO.

217. DUos tantum viros commemoro sanctitate spectabiles qui, eo tempore in Asiano Exarchatu floruerunt, Sanctum Nicolaum Myræ in Licia, & Sanctum Amphilochium Iconii in Licaonia Episcopos.

De S. Nicolao Episcopo Myræ.

218. S. Nicolaus ante Concilium Nicænũ sanctitatis & miraculorum famâ in omnium ore versabatur: virtutem cum nutricis lactè bibit; quæ cum ætate adeo crevit, ut in sui admiratio-

rationem Occidētem simul & Oriētem traxerit. Episcopus Miræ in Lycia creatus, talē se populo exhibuit, ut sub illo pastore nec pauperes alimentū, nec viduæ defensorē, nec patrem orphani desideraverint. Adfuit Concilio Nicæno Magno, uti probata magis fert opinio: patravit obstupescenda miracula: ubique terrarum dùm vixit, & post mortem clarissimus. Sed ejus vitæ cursus sanè mirabilis, virtutesq; ac res ab eo præclarè gestæ, angustissimis brevitatis nostræ finibus includi minimè possunt: quare lectorem ad Methodium, & Metaphrasten, qui subtiliùs illius acta scripserunt, & ad Joannis Diaconi M.S. remitto. S. Nicolai corpus Barii in Apulia, hodierna die colitur, cujus ossa divinitùs copioso atque perenni liquore manant.

De S. Amphilochio Episcopo Iconien.

219. S. Amphilochius, vir à Basilio Magno, Gregorio Theologo, Hieronymo, Theodosio Imperatore, Theodoreto, aliisq; Patribus plurimis laudatissimus, Iconii in Licaonia Epi-

Episcopus, in Asiana proconsulari Diœcesi, sedente Damaso, Valente ac deinde Theodosio Imperantibus floruit; fide, sanctitate, ac doctrina clarissimus. Cum aliquando à Theodosio Imperatore petiisset, ut Arianos, quo minùs in urbibus conventus agerent prohiberet, idq; ab Imperatore, quod videretur durius, minimè impetrasset, hac ratione fertur ejus Principis indulgentiam redarguisse: Ad Theodosii latus Arcadius filius, qui nuper Imperator creatus fuerat, adstabat: tunc Amphilochius consultò illac trāsiens, neglecto filio Arcadio, patrem Theodosium dumtaxat salutavit; monitusq; à Theodosio, ut Filium quoque honore debito prosequeretur, satis sibi esse respondit, patri honorem exhibuisse: cùmque vehementer ea responsione commoveretur Imperatoris animus: *Vides*, subdit prudens Episcopus, *ò Imperator, quàm ægrè ignominiam filii tui patiare: credas igitur mihi velim, hujus universitatis rectorem Deum, eos qui cōtra filium suum unigenitum pejerant itidem detestari*: quo sapientissimo Amphilochii consilio, rectiùs institutus

Theo-

Theodosius, illicò urbanos Arianorum conventus lege prohibuit. Massilianorum sive Euchaitarum hæresim scriptis & operâ profligavit; præfuitque 25 Episcoporum Concilio, *Sydæ* adversus eandem hæresim congregato, cujus meminit Photius in Bibliotheca. Fide adeò integrâ & spectata fuit, ut primò Constantinopolitana (1) Synodus, deinde Theodosius (2) in suo edicto decreverint, eos in Asia proconsulari, pro catholicis habendos esse, quos Amphilochio communicare constitisset. Divinis humanisque literis ita valuit, ut illum Hieronymus (3) cum Basilio, & Gregorio Theologo exæquare videatur: comentarium scripsit de Spiritu Sancto, cujus meminit idem Hieronymus verbis ejusmodi: *Amphilochius Iconii Episcopus nuper mihi librum legit de Spiritu Sancto, quod Deus est, & quod adorandus, quodque omnipotens sit*: alia quoque plura scripta edidit, quæ subinde Theodoretus in suis Dialogis citare solet: extat etiam Amphilochii ad Seleuchum carmen de libris sacris: cujus tamen carminis Jacobus Billius Gregorium Nazzianzenum

(1) *colligitur ex Greg. Nis. Epist. ad Flavian. apud Baron. t. 4. pag. 346. in fine.*

(2) *Lit. 3. de fide Catholica Cod. Theod.*

(3) *Hieron. Epist. 84. ad Magnum.*

zenum facit authorem. Sed qui, Amphilochii nomine de Basilio commentarius inscribitur, scatens erroribus falsò illi tribuitur. Vixit Amphilochius usque ad annum 394. sororem habuit sanctissimam nomine Theodosiam, quam Nazzianzenus Theologus puellæ Olimpiadi Anysiii filiæ his versibus imitandam proposuit.

Est tibi, grata puella, Theodosis; hæc tibi viva
Sermonisque operisque omnis fac prostet imago.
Est quæ nubilibus, chyron quod priscus Ephebis:
A patre susceptam, quæ te formavit honestis
Moribus, Amphilochi soror omni labe carentis
Quem Cæli misi domina cum Virgine Techla
Præconem veri celebrem, mihi dulce decusque.

Eodem tempore in Asiana Diœcesi floruit optimus Episcopus Antiochiæ Pisidiæ, cujus fidem Theodosius Imperator in eodem, quod nuper memoravimus, edicto laudavit: Atque hæc in-

nuisse

nuiſse ſufficiant de viris ſanctitate illuſtribus, qui ea tempeſtate in Oriente floruerunt: monitoſque lectores volo, me alios quamplures ſanctitatis famâ præſtantiſſimos ejus temporis Oriētales, ſilentio præteriiſse; namque omnia de omnibus dicere, neque licuit penuria temporis laboranti, neque ſpecimen exhibenti neceſse fuit.



CAPUT



CAPUT SEPTIMUM.

De Incrementis Christianæ Religionis per Orientales Regiones.

220. NCREMENTA Christianæ Religionis, tribus potissimùm cõtineri solent; propagatione, cultu, gloriâ. Propagatione quidem fides amplificatur accessione gentium, ac nationum: cultu verò altiùs radices agit: gloria demùm admirationem populorum sibi conciliat, cum honore summo conjunctam. Eo autem tempore, Christianæ Religionis, per Orientis Solis Provincias, & Regiones, propagatio pe-

nè infinita, & cultus incredibilis, & gloria summa fuit.

De Christianæ Religionis propagatione.

221. QUòd ad propagationem pertinet, tametsi Ecclesiæ bella civilia, atque incendia hæresum intestina, Apostolicorum Virorum occupatum studium, impeditamque tenerent operam, Dei tamen Optimi cura & providentia ita fidei cursum direxit, latè se per omnes Mundi plagas effundentis, ut tot hæresum, in Oriente debbaccantium impedimenta, Religionis progressibus moram ferè nullam injecerint. Itaque primò in iis orientis Solis urbibus, atque provinciis, in quibus jampridem fundata Religio nostra ita florebat, ut plurimi tamen adhuc aut Judæi, aut Idolorum superessent cultores, mirum in modum Christi fidem amplificatam fuisse accepimus; ut Christianorum numerus in dies cresceret; infideles ad summam paucitatem redigerentur. Deindè verò integræ nationes, ac populi

inter quos non dum pedem Christianorum Religio fixerat, Christo nomen ea tempestate dederunt.

Nam ut Tiridatem Armenorum Regem prætercam, qui Magni Gregorii Armeni operâ aliquot annos ante Nicænam Synodum, cum non mediocri Regni sui parte credidit; quique cum Constantino Magno, inito inter se epistolarum commercio, ad fidem per orientales regiones amplificandam conspiravit; aliæ quoque orientis Solis provinciæ, post Nicæni Concilii tempora fidei nostræ accesserunt.

222. Iberos Populos cum Bacurio Rege atque Regina, circa salutis annum 327. sub Silvestro Pontifice, & Constantino Magno Imperatore, ad Christi fidem captiva quædam Mulier adduxit: cujus historiam rei his Ruffinus(1) prosequitur: Per idem tempus etiam Iberorum gens, quæ sub axe Pontico jacet, Verbi Dei fœdera, & fidem futuri susceperat Regni. Sed hujus tanti boni præstitit causam mulier quædam captiva, quæ apud eos reperta, cum fidelem, ac sobriam satis duceret vitam,

(1) *Ruffin. l. 1. c. 10. Socrat l. 1. c. 16. Sozzom. lib. 2. c. 24. Theodoret l. 2. c. 6.*

„ tam, totisque diebus, ac noctibus
„ obsecrationes Deo pervigiles ex-
„ hiberet, in admiratione esse ipsa rei
„ novitas barbaris cępit: & quid hoc
„ sibi velit, curiosiùs perquirebant.
„ Illa ut res erat, simpliciter Chri-
„ stum, se, Deum hoc ritu colere fate-
„ batur. Nihil ex hoc amplius bar-
„ bari præter novitatem nominis mi-
„ rabantur: verùm (ut fieri solet)
„ ipsa perseverãtia curiositatē quam-
„ dam mulieribus inferebat, si quid
„ emolumenti ex tanta devotione ca-
„ peretur. Moris apud eos esse dici-
„ tur, ut si filius ægrotet, circum-
„ feratur à Matre per singulas domos
„ quò scilicet si quis experti aliquid
„ remedii noverit, conferat laboranti.
„ Cumque mulier quędam parvulum
„ suum per omnes circumtulisset ex
„ more, nec aliquid remedii, cunctas
„ domos lustrando cepisset, venit
„ etiam ad captivam, ut si quid sciret
„ ostenderet. Illa se, humani quidem
„ remedii nihil scire testatur: Deum
„ tamen suum Christum, quem cole-
„ bat, dare ei desperatam ab homi-
„ nibus posse salutem confirmat:
Cùmque

„ Cùmque cilicio ſuo parvulum ſu-
„ perpoſuiſſet, atque ipſa deſuper
„ orationem fudiſſet ad Deum, ſa-
„ num matri reddidit infantem.

223. „ Sermo autem defertur ad
„ plures; factique fama magnifici uſ-
„ que ad aures Reginæ perlabitur:
„ quæ dolore quodam graviſſimo
„ corporis afflicta, in deſperatio-
„ ne maxima erat. Rogat ad ſe
„ captivam deduci: Illa ire abnuit,
„ ne præſumere amplius aliquid,
„ quàm ſexus ſineret, videretur. Ip-
„ ſam ſe Regina deferri ad captivæ
„ cellulam jubet: quam ſimiliter ſupra
„ cilicium ſuum poſitam, invocato
„ Chriſti nomine, continuò poſt pre-
„ cem, ſanam & alacrem facit exur-
„ gere; Chriſtumque eſſe Deum, Dei
„ ſummi filium, qui ſalutem hanc
„ contulerit, docet: eumdemque
„ quem ſibi auctorem ſuæ ſciret eſſe
„ incolumitatis & vitæ, commovet
„ inuocandum: ipſum namqne eſſe,
„ qui & Regibus regna diſtribuit, &
„ mortalibus vitam. At illa cum
„ lętitia domum regreſſa, marito per-
„ contanti, cauſam tàm ſubitæ ſa-

„ nitatis aperuit: quique cum pro sa-
„ lute conjugis lætus, mulieri mune-
„ nera deferri juberet; illa, Horum,
„ inquit, ò Rex, nihil captiva di-
„ gnatur, aurum despicit, argentum
„ respuit: jejunio quasi cibo pascitur:
„ hoc solum ei muneris dabimus, si
„ eum, qui me, illa invocante, sana-
„ vit, Christum Deum colamus.

224. „ Ad hoc tunc Rex segnior
„ fuit, & interim distulit, sæpius li-
„ cet ab uxore commonitus: donec
„ accidit quadam die, venante eo in
„ silvis cum omnibus suis, obscurari
„ densissimis tenebris diem, & per
„ tetræ noctis horrorem, luce subdu-
„ cta, cæcis iter gressibus denegari:
„ alius alio diversi ex comitibus ob-
„ errant, ipse solus densissima obscu-
„ ritate circundatus, quid ageret, quo
„ se verteret, nesciebat: cum repente
„ anxios, salutis desperatione, animos
„ cogitatio talis ascendit: si verè
„ Deus est Christus ille, quem uxori
„ suæ captiva prædixerat, nunc se de
„ his tenebris liberet, ut ipsum ex
„ hoc, omissis omnibus, coleret. Il-
„ licò ut hæc non dum verbo, sed so-

ia

„ la mente devoveret, reddita Mundo dies Regem ad urbem perducit „ incolumem: Quique Reginæ rem „ protinùs, ut gesta est pandit. Evocari jamque captivam, & colendi „ ritum, ut sibi tradat, exposcit: „ neque se ultra alium Deum, quàm „ Christum veneraturum esse confirmat. Adest captiva, edocet Deum „ Christum; supplicandi ritum, venerandique modum, in quantum de „ his aperire feminæ fas erat, pandit. „ Fabricari tamen Ecclesiam monet, „ formamque describit.

225. „ Igitur Rex, totius gentis „ populo convocato, rem ab initio, „ quæ erga se ac Reginam gesta fuerat, exponit, fidemque edocet; & „ non dum sacris initiatus, fit suæ „ gentis Apostolus. Credunt viri per „ Regem, fœminæ per Reginam; „ cunctisque idem volentibus, Ecclesia extruitur instanter: & elevato jam perniciter murorum ambitu, „ tempus erat, quo columnæ collocari deberent. Cumque erectâ prima vel secunda, ventum fuisset ad „ tertiam, consumptis omnibus ma-

„ chinis, & boum, hominumq; vi-
„ ribus, cum media jam in obliquum
„ fuisset erecta, & pars reliqua nul-
„ lis machinis erigeretur, repetitis
„ secundò & tertiò, ac sæpiùs viribus
„ ne loco quidem moveri, attritis
„ omnibus potuit. Admiratio erat
„ totius populi: Regis animositas
„ hebescebat: quid fieri deberet, om-
„ nes simul latebat. Sed cum inter-
„ ventu noctis omnes abscessissent,
„ cunctique mortales, & ipsa opera
„ cessarent, captiva sola in oratione
„ pernoctans, mansit intrinsecus. Cũ
„ ecce matutinus, & anxius cum his
„ omnibus ingrediens Rex videt Co-
„ lumnam, quam tot machinæ, &
„ tot populi movere non quiverant,
„ erectam, & super basim suam libra-
„ tè suspensam, nec tamen superpo-
„ sitam, sed quantum unius pedis
„ spatio in aerem pendentem. Tunc
„ verò omnes populi consulentes, &
„ magnificantes Deum, veram esse
„ Regis fidem, & captivæ Religio-
„ nem, præsertim miraculi testimo-
„ nio perhibent. Et ecce jam miran-
„ tibus adhuc & stupentibus cunctis,

in

„ in oculis eorum ſenſim ſupra baſim „ ſuam, nullo contingente, columnà „ doposita, ſumma cum libratione „ conſedit. Poſt hoc reliqus colum„narum numerus tanta facilitate ſu„ſpenſus eſt, ut omnes quæ ſuper„fuerant, ipſa die locarentur.

226. „ Poſtea verò quàm Eccleſia „ magnificè conſtructa eſt, & populi „ fidem Dei, majore ardore ſitiebat; „ captivæ monitis, ad Imperatorem „ Conſtantinum totius gentis legatio „ mittitur. Res geſta exponitur: Sa„cerdotes mittere oratur, qui cæ„ptum erga ſe Dei munus implerent. „ quibus ille cum omni gaudio, & „ honore tranſmiſſis, multò amplius „ ex hoc lætatus eſt, quàm ſi inco„gnitas Romano Imperio gentes & „ regna, ignota junxiſſet. Hæc no„bis ità geſta fideliſſimus vir Bacu„rius gentis ipſius Rex, & apud nos „ domeſticorum Comes, cui ſumma „ erat cura & Religionis & veritatis, „ expoſuit, cùm nobiſcum, Paleſtini „ tunc limitis Dux, Hieroſolymis ſa„tis unanimiter degeret. Huc uſque Ruffinus.

Cæ-

227. Cæterum Iberia in duas veluti partes divisa erat, namque alia superior & Colchica; alia inferior, & Caspia dicebatur. Hæc non longè à Caspio mari & caucasiis mõtibus erat posita: illa verò ad mare ponticum magis vergebat. Ex his Colchicam, sive superiorem Iberiam à Sancto Clemente Papa, imperante Trajano, Evãgelio imbutam fuisse memorant; auctoremque habemus Iræneum, hos Iberos longè ante Constantini tempora credidisse: sed quæ inferior & Caspia dicitur, ea verò Iberia est, in quam, Constantini tempore, Christi nomen captiva mulier invexit.

Ruffin.l. 1.c. 19. Athana. apol. 1. p. 693. 696.

228. Prætereà sub Reparatoris annum 331, Silvestro item Pontifice, & Constantino Magno Imperatore, Auxumunses Æthiopes ejusq;gentis principes geminos Aizanum, & Sazanum Christi fide Frumentius, captivus adolescens, excoluit. Qui deindè Frumentius eisdem Auxumensibus ab Athanasio Magno datus Episcopus, in ea Orientalis Africæ parte Christianã Religionem altè fundavit: ejusdemq; regionis accessione, plurimùm dictio

aucta

aucta est Patriarchatus Alexandrini. Cùm autem superiori capite in vita Frumentii satis indicaverimus, qua via, & ratione fidem natio illa receperit, idem hìc repetere supervacaneum duco.

229. Sub annum prçtereà 372, quo trmpore Catholicam Ecclesiam S. Damasus moderabatur, & Valens Arianus Imperator diris modis exagitabat, Mavia Regina, subiectique Saracenorum populi crediderunt. Prima fidei semina inter eos Barbaros S. Hilarion Abbas (teste Hieronymo) pridem jecerat; qui cùm ejus gentis plurimos à malorum Dæmonum possessione liberaret, iis signis Saracenorũ animos ad veræ fidei agnitionem adducere cæperat: uberiores posteà fructus ex his seminibus christiana Religio tulit; nam Regina Mavia, & ipsamet fidem suscepit, & Mosen quendam virum sanctissimum gẽti suæ Episcopum dari curauit. Ea verò res, ut à Ruffino, Theodoreto, Socrate, aliisque historicis accepimus, sic se habuit. Mavia virilis animi Regina Saracenorum, Imperii Romani fines acri

Ruffin. l. 2. c. 6. Theodoret. lib. 4. c. 40. Socrat. Ammian.

acri bello adorta, Palestini, & Arabici limitis oppida quędam oppugnaverat, frequentibusque præliis Valentis exercitum partim contriverat, partim in fugam egerat: his verò acceptis cladibus adeò Romanus demisit animũ, ut ab ea fœmina pacem oraret: Regina pacem ea conditione obtulit, si Moses sanctitate ac miraculis clarissimus solitarius, genti suæ daretur Episcopus: Valens accepta conditione, dedit operam, ut Reginæ, Mosen petenti, mos gereretur: tùm eductus è latebris sanctissimus Eremita Lucio Alexandrinæ sedis invasori scelestissimo sistitur ordinandus: sed cùm ab homine illo Ariano, sacrilegas sibi manus imponi Moses noluisset, ad Catholicos Episcopos exules ductus, ab iisque ordinatus, Sarracenorum Episcopatum omnium primus suscepit; eamque gentem, Christi fide, ferè totam brevi excoluit. Hi verò Saraceni ad Arabiam petræam, uti memorant, pertinebant; eosdemque illos fuisse ferunt, quos sacræ literæ Agarenos & Ismaelitas appellant.

Sozomen. l. 1. c. 38.

230. Per idem tempus, propè regionem

nem eandem Princeps quidam, Zocomus nomine, cum tota sua ditione fidem recepit. Is cum sterili usus conjugio spem nullam propagandæ stirpis haberet reliquam, ejusque rei caussa, vitam in mærore summo traheret (nā liberos procreare, permagni apud Barbaros æstimari solebat) ad Christianum quendam monachum, miraculorum famâ pollentem, vices suas dolens se contulit; cui, vir sanctus bono animo esse jussit, pollicitus filium ab eo, modo in Christum crederet, susceptum iri. Cum verò Zocomus Princeps Filium, ut monachus prædixerat, suscepisset, recepta fide, sacro fonte lavari voluit, & suam quoque ditionem Christo, regum Regi subiecit. Alię quoque per eadem tempora ferę gentes, ac barbaræ nationes fide domitæ in Oriente fuerunt. Sed iis quæ hactenus de fidei propagatione innuimus nostra brevitas contenta est.

De

De Cultu Christianæ Religionis per Orientem.

231. CUltus verò Christianę Religionis, in Templorum multitudine atq; splendore enituit maximè; tùm etiam in Idolorum casu atque ruina. Templa quidem, per Orientis solis plagas omnes, innumera, tempestate illa, extiterunt; quorum pleraque posuit Constantini Magni religio summa ac liberalitas. Et sanè tanto sacrarum ædium erigendarum studio ejus Principis religio ardebat; ut artifices, ex toto licet Imperio conquisiti, iis tamen extruendis operibus, quæ ipse animo designaverat, impares esse viderentur: quæ res ex ejusdem Constantini ad Fœlicem edicto, quod jam subiicio, percipi facile potest. *Architectis quamplurimis opus est, sed quia non sunt, sublimitas tua in provinciis Africanis ad hoc studium eos impellat, qui ad annos ferme duo de viginti nati, liberales litteras degustaverint. Quibus ut hoc gratum sit, tam ipsos, quàm eorum parentes ab his quæ*

Lib. 1. de excus. artif. C. Theodos.

quæ personis iniugi solent, volumus esse immunes; ipsisque qui discent, salarium competens statui. P.P.VI.Kal. Septembris Cartagine, Optato, & Paulino Coss. quo actus studio, in præcipuis Orientalis Imperii urbibus (ut ea omittam quæ Romę, ac per Occidentem erexit) amplissima templa (1) Eusebio teste fundavit: Sed ea prima religiosi Principis cura & cogitatio fuit, ut sanctam urbem, ejusque urbis loca Christi Reparatoris, aut sanguine consecrata, aut sudoribus, aut miraculis, aut mysteriis; quæ loca idolorum superstitio horrendum in modum contaminaverat, sacris ædibus exornaret.

(1) *Euseb. Vit. Constant. lib. 3. cap. 24.*

232. Itaque sex Constantinus Hierosolymis erexit Ecclesias: unam propè Christi sepulchrum, quam Resurrectioni Domini dedicavit: quæ à Cyrillo Martyrion; ab aliis Constantiniana Basilica vocari consuevit. Ejus Ecclesiæ descriptionem, ab Eusebio literis consignatam accepimus, simulque pulcherrimam, de eadem, ædificanda epistolam Constantini ad Macharium Hierosolymorum Antistitem. Eandem Ecclesiam sacris fuisse picturis exornatam,

Templum Resurrectionis.

natam, Deiparæ præsertim imagine, memoriæ proditum est. Hæc eadem Ecclesia fuit, ad quam dedicandam Eusebiani, anno 335 ex Tyrio Conciliabulo, Hierosolymam se, Constantini jussu contulerunt, ubi conventiculo instructo, Arium & Arianos in Ecclesiæ communionem receperunt.

Tēplum Passionis. Templum Sāctæ Crucis. Templa Nativitatis, & Ascensionis.

Templum in horto Gethsemanis.

233. Aliam Ecclesiam Hierosolymis à fundamentis erectam, in memoriam Dominicæ Passionis Constantinus dedicavit. Tertiam in honorem Sanctæ Crucis. Quartam & quintam Helenæ matris nomine, alteram non longe à Bethleem; alteram in Monte Olivarum posuit. Sextam uti ab Eusebio conjicimus in horto Gethsemanis idem Imperator fundavit. Ipsum præterea Christi Domini sepulchrum, subverso Veneris atque Cupidinis fano, quod Idolorum cultores superextruxerant, ut ejusdem sepulchri gloriam, atque memoriam extinguerent, columnis & operibus amplissimis exornatum religioni fidelium desiderioque restituit. Ad hæc antrum Bethleemiticum, ubi natus est Christus; summumque Oliveti Montis verticem, unde,

pedum

pedum veſtigia impreſſa relinquens, in Cœlum victor aſcendit, ad templorum formam, & elegantiam adduxit: atque auro gemmiſque, omniumque ornamentorum generibus excoluit. Atque hæc præcipua ſunt monumenta, quæ religioſiſſimus Conſtantinus Hieroſolymis poſuit, poſt celebratam Nicænam Synodum; ex quo tempore fidelium multitudines propè infinitæ ad loca Sancta, ex omni Terrarum Orbe cæperunt confluere.

Sed alia item plurima per alias Orientis Solis Provincias Conſtantinus templa fundavit. Illud in primis memorabile, ac ſumptuoſū fuit, quod ad Quercum Mambre *Deo viſo* dedicavit: ea ductus religione, quod, uti ſacræ teſtantur literæ, eo primum loco Abrahamo Deus apparuiſſet; ibique primùm cum eodem conſeruiſſet ſermones; atque hominibus per ſpeciem quandam videri cæpiſſet. *Templum Dei viſi ad Quercum Mābræ.*

234. Baſilicam etiam Antiochenam longè præſtantem, ac veteribus monumentis celebratiſſimam Imperator idem erexit; quæ ob divitias, atque magnificentiam, *Dominicum* *Dominicum aureum Antiochenum.*

Z *aureum*

aureum vocari consuevit. Hoc Templum post Constantini obitum Eusebiani, Constantii jussu, anno 341 dedicarunt; eaque occasione arrepta, Antiochenum conciliabulum, sceleribus famosum, contra Athanasium instruxerunt: qua de re plura indicavimus à num. 18.

235. In Bithyniæ quoque Provincia geminæ per idem tempus Ecclesiæ fuerunt positæ: altera, & illa quidem amplissima Nicomedię à Constantino, altera Drepani, sive Helenopoli in honorem Sancti Martyris Luciani, ab Helena Constantini Matre sanctissima.

Templum Nicomediæ.

Templum S. Luciani Martyris.

236. Plura etiam Templa Constãtinus excitavit Constantinopoli. Duorum Socrates meminit: alterum erat Apostolorum sanè celebratissimum, ubi sepulchra Imperatorum statui cæperunt: alterum erat Templum Pacis, quod σοφία item, idest sapientia, vocabatur. Memorias quoque sive Ecclesias Sãctorum Martyrum Mocii, Agathonici, Mennæ, & Acacii, in ejus urbis regione decima extructas fuisse, cõpertum satis habemus. Tum etiam in subur-

Templum Apostolorum.

Templum Pacis.

Memoriæ Martyrum.

ſuburbio ad quędam locum mari proximum, quem olim Idolorum cultores Veſtæ ſacrum habebant, Angelorum Principis Michaelis Eccleſiam Conſtantinus fundavit; quam deinde incolæ Michaelium dixerunt: apud quos ea fama valebat, ipſum Archangelum Michaelem eo loco ſe videndum exhibuiſſe.

Templum S. Michaelis dictum Michaelium.

237. Sed vetera etiam Templa, quæ nimis viderentur anguſta, ut majoribus ſpatiis amplificarentur pius idem Imperator lege conſtituit: neque his contentus, immenſis inſuper divitiis, atque auri gemmarumque vi & copia incredibili, omnium templorum cultum majeſtatemque cumulavit: reſciſsâque Ethnicorum principum lege, qua cautum erat, ne quis bona Eccleſiis teſtamento relinqueret, religioſam fidelium, in Dei cultum, liberalitatem liberam eſſe voluit.

238. Alii quoque alias per Orientem Chriſtianæ Religioni fundarunt Eccleſias, tum ſub Conſtantino ipſo Imperatore, tùm poſt Conſtātini tempora uſq; ad Imperium Magni Theodoſii. Nam Conſtantino imperante

Templa excitarunt amplissima Josephus Comes in Tiberiade atque apud Capharnaum : Bacurius Rex in Iberia: S. Frumentius in Æthiopia. Imperãte verò Constantio, Regina Mauria, atque Zocomus Princeps apud Sarracenos: Athanasius Alexandriæ S. Meletius Antiochiæ. Sub Valente quoq; Basilius Cæsareæ Tẽplum, sub Theodosio Gregorius Nazzianzenus Anastasiam Cõstantinopoli erexerũt: atq; alibi demũ sacras ędes alii plurimi per Orientem tempestate illa ædificarũt. Sed de Josepho comite, quis nam fuerit, qua ratione, sanè mirabili, è Sinagoga in Ecclesiam Christi demum transierit, cujusve rei causa Comitatus dignitatem à Constantino obtinuerit, & quæ tandem quibusve prodigiis Templa fundaverit, consulat Lector Epiphanium hæres. 30.

De Idolorum casu per Orientem.

239. CONtrà verò, Idolorum superstitio, per idem tempus, penè abstirpe periit: imperante siquidem Cõstãtino, Idololatria lege vitata,


Ido-

Idolorumq; sacrificia, prophaniq; ritus omnes sublati penitus fuerunt: Templa Deum Constantinus idem, alia expoliari, portis dirutis & laquearibus tectisque dejectis; plurima etiam solo æquari; omnia denique claudi jussit. Itaque Æsculapii Templum apud Ægeas; Veneris fanum in vertice Montis Libani, arx & receptaculum turpitudinis; alia in locis aliis demolita feruntur. Ad hæc Gentilium sacra deleta: comminuta Idola: diique gentium risui exposita, in regia præsertim Constantini urbe: qua de re hæc in vita Constantini Eusebius(1)Pamphilus memorat: *Insignia monumenta ex ære fabricata (in quibus veterum error, longo jam temporis spatio, se insolenter jactasset) in Foro Civitatis, Imperatoris nomine nuncupatæ, omnibus palam proposita, ut intuentium oculis pro turpi spectaculo subjicerentur. Hinc Pythius; illinc Sminthius; in ipso circo Tripodes Delphici; Heliconides Musæ in Palatio.* Panis etiam famosissimum simulacrũ, quod Pausanias Lacedæmonius, & Græciæ urbes, post bellum contra Medos, dedicaverant, antiqua sede fuit

(1) *Euseb. Vit. Constant. lib. 3.*

exturbatum; & Constantinopoli ludibrio expositum. Bovem item Æneum, qui ad instar Phalaridis tauri, Pergami extabat, Antipæ viri sanctissimi martyrio clarum, Constantinopoli in Vaderina regione expositum fuisse memorant.

240. Si quę verò superstitionis reliquię in Oriente, post Constantinũ superfuerunt, eas Constantius, ac Theodosius Imperatores, sanctionibus editis extinxerunt. Nam Constantinus nec omnia repentè Deorum delubra subvertere, nec superstitionem Idolorum, quæ omnem ferè terrarum Orbem invaserat, tàm brevi tempore delere potuit. Hæc verò sunt, atque ejus generis plurima, brevitatis causâ prætereunda, quæ Christianæ religionis cultum mirificè in Oriente per illud tempus amplificarunt.



De

De Gloria Christianæ Religionis.

241. DE gloria demùm ejuſdem Chriſtianæ Religionis multa dicenda mihi ſuperſunt, quæ paucis tamen complectar. In primis enim, quas memoravimus Regum populorumque ad fidem acceſſiones, immenſam propè gloriam Chriſtiano nomini pepererunt: quam pariter cumulabant fortitudo Martyrum, conſtantia Confeſſorum, continentia Virginum, multitudines Monachorum; Sanctorum, numero carentium vita atque virtutes; ſapientia Patrum atque Doctorum; miracula item penè infinita, mores denique, & inſtituta Chriſtifidelium, juſtitia, fides, charitas: quarum rerum tunc temporis in Oriente ſumma & incredibilis copia erat.

242. Ad Chriſtianam preterea Religionem ea pertinebat gloria, quam ſummam & incredibilem Sanctum Chriſti nomen, & ſignum Crucis, per illud tempus in Oriente obtinuere. Chriſti quidem nomen, per Orientis

Solis partes remotissimas, longèque posita regna diffusum, ultra fines Romanæ ditionis ingenti gloria ferebatur: eoque audito Nomine, curvari genu Terrestrium, Cælestium, & Inferorum, fugere superstitio, obmutescere malorum dæmonum oracula, cadere simulacra gentium, Deorum fana ruere videbantur. Idemque duobus græcis elementis hujusmodi exemplo ☧ expressum, auro, gemmisq; ornatum, populorum adorationi ubiq; proponebatur; Regiarumque frontium honestamentum, ac decus erat. Constãtinus Magnus, eodem Nomine laureas victorum militum coronas cohonestari, consecrarique voluit; idemq; ipse, suo in clypeo, in galea, in diademate, gestare consuevit, ut intelligeret Orbis Terrarum, Christum, ejusq; Nomen ubiq; vincere atque regnare.

243. Cruces item, eo tempore per Orientem, in ædium apicibus, urbiumque fastigiis, spectabiles, atque sublimes extollebantur. Nam ex quo Constantino magno salutare illud signum apparuit, Crucis gloria incredibilem in modum amplificata est: tunc

tunc Labara& Cantabra,pro Romanis Aquilis, ab exercitu preferri cœperũt: tunc arma militum, ac diademata Imperatorum, hac tesserâ Christianorum speciosissimâ adornabãtur. Constantinus Crucẽ in armis, atq; in Diademate illo tẽpore gestare consuevit; eodemq; salutari signo nobiles, suas imagines pingi jussit: Lanceâ quoque ad modũ Crucis conformatą, in bello utebatur: quam postea lanceam maximo in pretio fuisse habitam, atque per manus Succedentium Imperatorum ad Henricum, ejusqueFilium Othonem, hæreditario veluti jure pervenisse proditum est. Tres præterea ingentes ex ęre Cruces novæRomę Constantinus erexit: in quarum una ΙΗΣΟΥΣ, JESUS, in altera ΧΡΙΣΤΟΣ CHRISTUS, in tertia ΝΙΚΑῖ VINCIT inscribi jussit: Primam verò,cui nomen JESUS inditum erat,auro undique intertextam, in foro collocavit, super triumphalem arcum: alteram Christi nomen præferentem, in eo loco,qui φιλαδέλφιων dicebatur, super columnam porphyreticam; quæ ex veteri, in novam Romã,ejusdem Principis jussu, fuerat de-

por-

portata: tertiam denique in loco qui Αρτόπωλιον, forum panarium appellatur super ingentis altitudinis marmoream columnã, quam Crucem Cõstantinus Victoriam Νίκην, Hæraclius postea ἀνίκητον Inuictam appellavit: de hac cruce mira Nicephorus memorat; præsertim verò, celestem spiritum ad illam ter in anno, nocte intempesta, solitum fuisse descendere, qui ut idem auctor affirmat * τρισάγιον ὕμνον suavissimè concinens, thure & odoribus incensis, eam Crucem circuire, ijs qui ea visione digni forent, conspicuus & lucidissimus videbatur; atque exindè ad instar sideris ferebatur in Cœlum. Columnam quoque porphireticam aliam, in foro novæ Romæ πλακότον græcis dicto, Constantinus Magnus erexit; super quam, signum Apollinis eneum ingentis magnitudinis, opus ægregiæ artis, ab Ilio Phrigiæ translatum, collocavit: quod, deletâ Apollinis memoriâ, suo nomine inscribi jussit; in ejusque dextera manu aureum malum, atque in malo crucem superposuit, cum inscriptione hujuscemodi: TIBI CHRISTE DEUS UR-

* Ter Sanctum himnũ.

URBEM HANC COMMENDO.
verſus etiam ejuſmodi, eadem in Columna, Cedrenus inciſos fuiſſe prodit.

Tibi Chriſte, Mundi Domine rectorq; optime.
Urbem hanc, tibi quæ ſerviat modo ſubdidi,
Et ſceptra, Romanamque omnem potentiam.
Hanc tu, malis defendes ſemper ab omnibus.

Ad baſim ejus columnæ (ſi Nicephoro credimus) hæc ſacra monumenta, duodecim nimirùm cophinos ſeptéq; ſportas, ac ſeptem panũ, quos Chriſtus multiplicaverat, reliquias; præterea dolabram, qua Noe Arcam conſtruxerat, Conſtantinus ſuis manibus, ſuoq; anulo obſignata, repoſuit.

De Labaris.

244. SEd quoniam de Labaris mentio incidit, non abs re puto, eſſe de his aliquid innuere. Primò quidẽ, qua occaſione id vexilli genus Conſtantinus Magnus invexerit, & quę illius fuerit forma, & figura, his Eu-

(1) *Euseb. Vit. Constant. lib. 1.*

„ sebius (1) exequitur. Ille (nēpè Cō-
„ stantinus, post celeberrimam Crucis
„ visionem) simulatque dies illuxit,
„ surgens, primùm arcanum illud vi-
„ visum amicis exponit: deindè ar-
„ tificibus, qui aurum & lapides
„ pretiosos affabrè sculpere norant,
„ accersitis, medio inter illos loco
„ assidet ; verbis signi describit effi-
„ giem ; eam auro, & lapidibus pre-
„ tiosis imitatione adūbrare mandat:
„ quam quidem effigiem contigit, ut
„ nos olim oculis contemplaremur ;
„ ipse enim Imperator, Deo illud
„ largiente, eam nobis ostendere di-
„ gnatus est. Erat autem tali figura
„ fabricata : Hastile oblongum ere-
„ ctumque, auro undique obductum
„ fuit, quod cornu habuit transver-
„ sum, ad formam Crucis constructū;
„ supra in fastigio ejus operis corona
„ affixa, lapidibus pretiosis, & auro
„ polito circumtexta. In ea salutaris
„ appellationis Salvatoris nota in-
„ scripta, duobus solùm expressa ele-
„ mentis, idest, duabus primis litte-
„ ris grçcis nominis Christi. erat, P,
„ in medio literæ X, curiosè & sub-

tili-

„ tiliter inserta ☧ quæ totum Chri-
„ sti nomen perspicuè significarunt.
„ Quas quidem literas deinceps, sem-
„ per Imperator in galea gestare con-
„ suevit.

245. „ Ad cornu illius particulæ,
„ quæ ex transverso erat per hastile,
„ trajecta, velamen quoddam perte-
„ nue appensum adhæsit; regalis vi-
„ delicèt & magnifica textura; mi-
„ rabili varietate lapidum pretiosorũ
„ artificiosè conjunctorum, lucisque
„ suæ claritate pulchrè resplendescẽ-
„ tium depicta, & multo auro intexta:
„ quæ dici non potest quantam spe-
„ ctatoribus, ob suam pulchritudinem
„ excitarit admirationem. Istud igi-
„ tur velamen ad cornu affixum,
„ longitudinis altitudinisque Crucis
„ mensuram penitus exæquavit. Ob
„ longum, & erectum hastile in su-
„ blimi appensum, cujus pars infe-
„ rior versus basim longius ducta fuit
„ sub ipsum Crucis insigne ad textu-
„ ræ discurrentis fimbrias, auream
„ pii Imperatoris, pariter ac libero-
„ rum suorum effigiem, ad pectus usq;
„ concinnè descriptam continuit. Isto

igi-

„ igitur salutari signo Imperator, tan-
„ quam hostilis cuiusque, & infestæ
„ violentiæ propugnaculo semper
„ usus est: cujus expressæ similitudi-
„ nes mandavit, ut universum exer-
„ citum perpetuò antecederent. Ve-
„ rum ista paulò post acciderunt. Hec
„ Eusebius.

246. Deindè Labari nomen unde fluxerit Nazianzenus (1) Theologus per hæc verba indicavit, cùm in Julianum Apostatam inveheretur: Quin
„ eo audaciæ quoque prorupit, ut
„ adversus magnum illud vexillum
„ præceps ferretur, quod simul cum
„ Cruce magnificè, & cum insigni
„ pompa exercitum ducit in sublime
„ evectum, *quod solvendorum labo-*
„ *rum vim habet*, ab eoque apud La-
„ tinos nomen trahit; principatumq;
„ (ut ita dicam) in reliqua omnia ve-
„ xilla tenet. tàm quæ Imperatorum
„ imaginibus, atque expansis texturis
„ in variis tinctionibus, litterarumq;
„ picturis illustrantur quasique ge-
„ stiunt; quàm quæ horrendis draco-
„ num hiatibus super summas hastas
„ elatis, involantia, ac per tractus cō-
textis

(1) *Nazzianzen. orat. 1.*

„ textis squammis distinctos ventila-
„ ta, iucundissimum simul & formido-
„ losum spectaculum oculis prebent.
Sunt qui putent, geminam vocem, *labor*, & ὅρος, latinam alteram, alteram grecam, ad Labari nomen componendum coire; quasi idem sit Labarum, atque *laboris* ὅρος laboris *terminus*, atque finis. Baronius de Labaris, & Cantabris, aliisque militaribus signis Crucem præseferentibus pleniùs & accuratissimè disserit. Labarum ab Apostata Juliano sublatum Jovianus anno 363, deinde Valens in Oriente restituerunt.

247. Maximum etiam incrementum, summamque gloriam ex inventione S. Crucis, Christiana Religio tulit. Thesaurum illum tandiù absconditum, tantisque votis â Christifidelibus desideratum S. Helenæ summa pietas, Deo indicante, invenit anno 326, in ipso Calvariæ monte; cùm S. Silvester ad Ecelesiæ Clavum sederet, Constantinus Imperium moderaretur, & S. Macharius Hierosolymarum gereret Episcopatum: ex quo tempore signũ illud Reparationis hu-

manæ

manæ majorem in Ecclesia cultum obtinuit. Clavi etiam, qui divinum Christi Domini Corpus è Cruce suspensum tenuere, summa religione Cōstantinus coluit: geminum ipse apud se habere consuevit, alterum in ejus equi quo utebatur freno; alterum in diademate fixum gestabat, tertium super novæ Romæ columna sublimem exposuit, qui populis religioni, Urbi præsidio foret. Atque hæc innuisse sit satis de incrementis Christianæ religionis per Orientales regiones.



CAPUT



CAPUT OTCAVUM.

De Monasticæ Vitæ progressu, ac sacrorum Rituum instauratione.

247. Onastica universim Professio, duplici præsertim vitæ genere, *Cænobicico* & *Eremitico* contineri solet: nã, tametsi qui soli omninò viverent, ii, ducto nomine è græca voce μόνος Monachi præcipuo jure dicerentur; quorum tamen, in Cœnobiis, à communi hominum consortio segregatis, una essct vivendi ratio, cor unum, atque anima una, iis quoq; Monachorum nomen, Augustino (1) teste, optimè congruit. Plurimæ, hac de re, quæstiones institui solent: nam & quando utra-

(1) *August. in Psalm.* 132

que vivendi ratio primò cœperit; & quis earum fuerit primus author & institutor; & utra nam præcellat dignitate, vel tempore; identidé scriptores quærunt. Sed ut iis nos explicandis quæstionibus immoremur, instituti nostri ratio, ac brevitas minimè patitur. Originem dumtaxàt levitèr tangam, quod necessariò mihi faciendum reor, qui de Monasticæ vitæ progressu, tametsi brevitèr, hoc loco scripturus sum.

Sententiæ quædam de origine Monachorum in veteri Testamento.

248. NOn defuerunt, qui Monasticam disciplinam in veteri Testamento floruisse contenderét. Jacobus (1) Boulduci in iis, quos *de Ecclesia ante legem* edidit libris, octo quasi monasticas Religiosorum statuit sodalitates, in totidèm Cœnobiis vitam agentium; ab orbe condito, ante Christi tempora institutas. Prima (ut ait) *Enosæorum* erat, qui ab Enos authore,

(1) *Relatus à Georgio Feblavio Luthe-rano neoterico, Dantiscano: in notis ad Enchiridion Christophori Angeli Græci: de stat. hodiernis Græcorū ad cap.* 27. §. 472.

thore, nomen sibi ejusmodi derivarunt; quos posteà Essæos dictos fuisse arbitratur. Secunda, *Minoritarum Cinæorum* à Cainâ Enosi filio proficiscentium. Tertia *Habreorum*, ab Hebere Semi abnepote. Quarta *Cenezæorum*, ab Ascenâ. Quintum *Nazaræorum*. Sextum *Filiorum Prophetarum*. Septimum *Rachabitarum*. Octavum *Essenorum*. Quæ mihi magis conjectura quædam, quam opinio solida videtur esse.

249. Abrahamus item Ecchellensis pro tanta Monachorum antiquitate stare videtur: quam ut confirmet, teste utitur Mahumettano: Abrahami (1) verba (2) sunt hujuscemodi: Geladedinus Sajuti Mahumettanus in Ægyptiaca Historia, ex variis authoribus, quos ibidem citat, sequentia allegat de Monastici instituti exordio- *Facultatem petierunt qui crediderãt ex Magis, à Moyse, ut redirent ad suos, & ea quæ habebãt in Ægypto: & impertitus est eis Moses facultatem, æque deprecatus est pro illis: quamobrèm professi sunt Monasticam vitam in summitatibus montium, &*

(1) *Abrahamus Ecchellensis in Præf. 20. Epistol ar. Anton. M. quas ex Arabico, Latinæ redditas edidit Parisiis anno* 1641.

(2) *Geladedinus Sajuti Maumetth. in Histor. Ægyptiaca.*

„ *sanè primi fuerunt qui Monasticam*
„ *vitam professi sunt : & appellabantur*
„ *Cœtus . Remanserant verò quidam*
„ *cum Mose , donec fatis concessit, Deo*
„ *jubente: & interruptus est Monacha-*
„ *tus post illos , donec restauraverunt*
„ *illum Christi Apostoli, super quos Pax:*
„ Imò ipse Pseudo- Propheta Mauhu-
„ metus, instituti veneratione motus,
„ conceptis verbis, Monachos suis cō-
„ mendavit, ac Monachorum, & Mo-
„ nasteriorum bona , à tributorum
„ gravamine exemit .

Sed majora authoritatis momenta ea quoque opinio desiderat .

250. Argumētis ducuntur solidioribus , qui Monasticæ disciplinæ authorem primum Eliam statuunt : nam idipsum sensisse Hieronymus (1) visus est , cùm ad Paulinum scriberet : *Noster Princeps Elias , noster Eliseus* . Idemque Hieronymus author est , jam indè à suis temporibus , qui ad eum Prophetam referrent Monachorū originem , fuisse plures . Nec secùs opinatum crediderim Mazianzenum , cùm de Basilio Magno affirmaret , solitudinem coluisse *cum Elia , & Joanne :*

(1) *Hieron. Epist, 13. ad Paulin.*

ne: eoſdemque Eliam, atque Joannem *admodum Philoſophos*, hoc eſt, Monachos extitiſſe; namque Nazianzeni temporibus, *Eccleſiaſticorum Philoſophorũ* nomine vocari Monachi cõſueverant. Quinimmò (1) Caſſianus Eliam proponit, veluti Monachorum exemplum, moremque illum geſtandi zonam pelliceam, ab eo Propheta manaſſe, tradit, in Monachos Chriſtianos. Hac etiam in ſententia Magnus Baſilius, & Marius Victorinus fuere; qui Victorinus, *Eliam* (inquit) *& Eliſeum, deſerta ac montes ſolitarios incoluiſſe, res eſt notiſſima*. Exſtat etiam in Bibliotheca Patrum liber ad Capraſium *de inſtitutione Monachi*, ubi author, quicumque demùm fuerit (nàm Joãni Hieroſolymitano liber ille falsò tribuitur) fuſiùs de origine Monachorum diſſerit, ab Elia proficiciſcentium.

(1) *Caſſian. lib* 1. *de Inſtitut. renunt. c.* 2.

251. Et ſanè dubitare minimè poſſumus, Prophetam illum longè præclarum, vitam in ſolitudine ab hominum conſortio ſegregatam duxiſſe: non quidèm caſu, & fortuitò; neque neceſſitate dumtaxàt, quod Eterodo-

xi solent contendere; sed Divino consilio, & velùt ex instituto: id, ea, quę hactenùs innuimus, Patrum testimonia confirmant; id etiam è sacris litteris apertè satis conjicitur: nam Elias ex quo ad solitariam vitam traductus est, in solis desertìsque semper locis sese continuisse legitur, ab hominum freqcentiâ sejunctum; nec nisi per occasiones, ad negotium aliquod, jussu Dei prficiendum, ad urbes descendere consuevisse: stabilemque sedem, postquàm occidit Prophetas Baal; in Carmelo præsertim monte fixisse. Huc certè Basilius (1) spectabat, cū ad Chilonem scribens, diceret: *Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias demoratus, perplacuit Deo*: Huc etiam illud pertinet (2) Nazianzeni: *pulchra res solitudo & quies, idque me docet Eliæ Carmelus*: quod Nicetas exponens, *idest Elias*, inquit, *in Carmelo degens, quemadmodùm tertius regum liber narrat*: quæ sanè aut falsò aut certè minùs aptè de Elia dìcerentur, si casu potiùs, quàm consilio; metu, quàm voluntate id vitæ genus arripuisset.

(1) *Basil ad Chilon.*

(2) *Nazianz. orat. 16. de pauperū amore. initiò.*

252. Elias deindè in Carmelo mō-

te,

te, vitæ ſolitariæ ſocium atque diſcipulum habuit Eliſeum; quem pariter, poſtquàm curru igneo tranſvectus eſt, ejus inſtituti, ſimul prophetiæ, atque virtutis, reliquit hæredem. Poſt aliquot tranſacta deinde ſæcula Joannes Baptiſta Domini Pręcurſor, hac etiam ex parte, quæ ad ſolitariam vitam pertinet, veniſſe dicitur, in ſpiritu atque virtute Eliæ. An verò monaſticæ diſciplinę ſectatores alios aut Elias ipſe in Carmelo Monte reliquerit, aut ſibi adjunxerit Eliſæus? An iidem Prophetæ, Oratorium, & habitaculū ibidem extruxerint, ubi cum ſociis alumniſque plurimis, certis legibus, perpetuoque ſodalitatis vinculo viverent? An demùm ea prophetica ſocietas atq; ſodalitas, uſque ad Chriſti tempora, & ultrà etiam, non interrupta poſteritate manaverit? res mihi videntur eſſe involutiſſimæ, & plenæ caliginis quæſtiones. Itaque iis prætermiſſis, quæ parum certitudinis, multum contentionis habere poſſunt, id unum hìc ſtatuimus, Eliā Thesbiten Monaſticæ vitæ quædam veluti rudimenta, in veteri Teſtamento poſuiſſe.

 Sen-

Sententiæ quædam de origine Monachorum in Testamento novo, ante Pauli & Antonii tempora.

253. EXemplum vitæ solitariæ, Divinus ipse Magister, & Reparator Christus, in Testamento novo, primus exhibuit: qui triginta diebus per deserta loca delituit. Tùm altiora illa, atque Divina consilia renuntiandi omnibus; relinquendi domos, fratres, uxores, atque parentes; abnegandi semetipsum; atque ejus generis plurima, Evangelicis passim libris disseminata; semina certè quædam monasticæ religiosæque vitæ fuerunt, in uberrimam segetem abitura Sanctorum; ejusque generis homines paritura, qui studiosâ *Paupertate* bonis, atque fortunis; *Castitate* uxoribus; *Obedientiâ* veluti sibimetipsis nuntium remitterent. Iis Divini Magistri exemplis, consiliisque instituti Christi fideles quamplurimi, monasticam vivendi normam, jam indè à temporibus Apostolorum (uti scriptores memorant non obscuri) ante Paulum,

lum, & Antonium, in Oriente susceperunt; præsertim verò in Ægypto, quę regio, à S. Marco Evangelista mirum in modum exculta, monasticæ disciplinæ primam præcipuamque gloriam tulisse videtur.

254. Et sanè de Monachis Alexandrinis, Pauli, & Antonii tempora præcedentibus, mentionem facit (1) Eusebius: eosdemque à Marco Evangelista fuisse institutos, Cassianus (2) apertissimè tradidit. Multorum (3) quoq; sententia fuit, Essenos illos, memorabilem sanè gentem, de quibus Philo Judæus singulari cum laude scripsit, homines fuisse religione Christianos, atque professione Monachos; & quidèm cœnobitas; nam eorum habitacula, Philo idem (quod etiam testatur (4) Hieronymus) monasteria vocavit: quam de Essenis opinionẽ Baronius Cardinalis, ex Hieronymo, & Eusebio, & Cassiano, aliisque scriptoribus latè, luculenterque (5) confirmat: contra verò adeò in eandem opinionem (6) Chemnitius, & (7) Vejelius, & (8) Dallæus invehuntur, ut nec Eusebio, nec Hieronymo parcant: quin

(1) *Euseb. lib. 2. c. 16.*

(2) *Cassian. de Institut. lib. 2 cap. 5.*

(3) *Eusebii, Hieronymi, Epiphanii, Cassiani, Baronii, &c.*

(4) *Hieronymus de script. in Marco, & in Philone.*

(5) *Baron. t. 1. Annal. ad ann. 64.*

(6) *Chemnit. in examin. Concil. Trid. sess. 8. de cælibat. Sacerd. in histor. paulò post init.*

(7) *Elias, Vejel. in dissert. Histor. Theol. pag. 44. num. 10.*

(8) *Ioann. Dallæus de Iejun., & Quadrag. lib. 2. ca. 4.*

bus manebat : *exindè autem*, *si quem in hoc studio vigilantem compererat*, *procedens quærebat*, *ut apis prudentissima*, *nec ad habitaculum suum ante remeabat*, *nisi ejus*, *quem cupiebat*, *frueretur aspectibus*. Ex quo Athanasii testimonio, quædam spontè fluunt, quæ in hanc rem facere vidētur plurimum. I. Ante Paulum, & Antonium fuisse Monachorum Cœnobia, seu Monasteria, licèt non tàm crebra in Ægypto. II. fuisse quoque solitarios nonnullos, qui studio perfectioris vitæ, non quidèm in aviis penitisque desertis, sed in agris, non ità procùl à paternis ruribus, delitescerent; in divinarum rerum contemplatione diù, noctuque versantes: quorum exemplis animum suum instituebat Antonius. III. Ejusmodi solitarios, non persecutionis metu, ut quidam hæretici criminantur; sed perfectioris vitæ studio, solitariam vivendi rationem suscepisse, ab urbano strepitu, hominumque consortio segregatam. IV. Qui ante illud tempus, aviam solitudinem coleret, innotuisse neminem: ita ejus rei exemplum Paulus Thebæus in Eccle-

siam

ſiam intulit primus: qui jure propterea cùm ab Hieronymo, tum à reliquis ſcriptoribus in tota poſteritate, primus Eremita vocari ſolet.

Quæ res cùm ſatis ſint exploratæ; ſic demùm exiſtimo: monaſticæ vitæ rationem, tametſi certis fixiſque legibus minùs formatam, minimèque perfectam; aliquo tamen modo ante Paulum & Antonium, ab ipſis Apoſtolorum temporibus, in Teſtamento novo cœpiſſe.

De Monaſticæ vitæ progreſſu per Paulum, & Antonium, poſt Nicænum Concilium.

255. SEd quod propiùs in rem noſtram facit, circa ipſa Concilii Nicæni tempora, utraque Monaſticæ vitæ ratio, Solitaria & Cœnobitica valere potiſſimùm cæpit: eaque ſemina, quæ in Teſtamento veteri Elias, & Eliſeus, ac poſteà Joannes; in Teſtamento novo primùm Chriſtus, deinde Apoſtoli, præſertim Marcus jecerant per Orientem, hoc demùm tempore abjerunt in florem. Nam quod ad vitam

tam pertinet Eremiticam in aviis penitiſſimiſque deſertis ſegregatam, ejus (uti ſcripſit (1) Hieronymus) inſtitutor Paulus, illuſtrator Antonius fuit. Paulus quidem annos amplius ſeptuaginta ante Nicænum Cõcilium in avia penitiſſimaq; ſolitudine, ſoli Deo notus delituit: ſed nonniſi undeviginti annis poſt eam Synodum celebratam, hoc eſt ſalutis anno 343. jam jam moriturus innotuit; ab Antonio Magno, Deo indicante repertus. Antonius quoque, ante Nicænam Synodum, cum nondùm quicquam de Paulo ſciret, ad id vitæ genus exercendum in interiora deſerta ſeſe contulerat: at circa ipſa Nicæni Concilii tempora clarus magis evaſit. Exindè verò tantùm Pauli & Antonii exempla valuere, ut poſtquam eorum fama manavit, Orientis deſerta loca, imprimis verò Ægyptiacæ ſolitudines, ipſis propè urbibus frequentiores evaſerint: tanta repentè Eremitarum extitit multitudo. Eâque demùm via & ratione beata illa ſtirps atque progenies ſegregatorum hominum, à Paulo fundata, ab Antonio illuſtrata & progata fuit.

(1) *Hieron. epiſt. 22. ad Euſtachium virginem.*

De

256. De hoc vitæ genere maximè segregato, non est absurdum affirmare, persecutionum occasione cæpisse: nam certè Paulum persecutio & metus primò impulit in deserta. Verùm in eo Lutheranorum quidam & Calvinistarum delirant, quod illud vitæ institutum neque laudabile; neque per se unquam, aut perfectionis studio à Patribus intentum fuisse putant: totum id eremiticæ vitæ negotium timori tribuentes: qua in sententia, jaminde à temporibus Cassiani fuerunt aliqui, contra quos idem (1) Cassianus invehitur. Et sanè Paulus, tametsi timore primùm secesserit; nulla tamen ratione fingi potest, nonaginta annos in eo vitæ genere, timore fuisse detentũ; sed potiùs voluntate, studioque perfectionis, & quod caput est, Divini Numinis instinctu: cujus Providentia factum est, ut ex iniqua hominum voluntate, & persecutorum tentatione, tantus Paulo proventus existeret: novit enimverò Deus hujuscemodi uti occasionibus; nec raro ex hominum malitia exordia sumit perficiendi opera sua. Et ingens exinde multitudo Eremitarum,

(1) *Cassian. collat.* 18. *c.* 5., *&* 6.

rum, Pauli, Antoniique exempla, nullo cogente metu secuti sunt.

257. Quod verò attinet ad vitam Cœnobiticam, ejus certè Antonius Magnus, aut fundator primus, aut restitutor, & propagator fuit: nam quæ illius vitæ rudimenta, Marcus Evangelista in Ægypto posuerat, ità persecutionum horribiles tempestates labefactaverant, ut eorum vix intermortuæ quædam superessent reliquiæ. Itaque Antonius Cœnobiticam disciplinam hac viâ & ratione fundare cæpit. Ejus viri virtus, divina Philosophia, & mirabilis vitæ ratio, præclarâ famâ, omniumq; sermone, per Orientem celebrabatur: eâ famâ commoti plures, primò ex finitimis regionibus, posteà ex longinquis, ad eundem confluebât, ut ab eo Magistro monasticis institutis imbuerentur. Itaque alumnos longè plurimos habere cæpit. Exindè multa Cœnobia, seù Monasteria per Ægyptum, in montibus, aliisque desertis locis construi jussit; in quæ Cœnobia, discipulos, alumnosque distribuit, velut in totidem societates; quarum quælibet suum Patrem sivè Præpositum ha-

haberet: eaque Cœnobia, creſcente in dies Monachorum numero, ita multiplicata ſunt, ut brevi tempore Ægyptum ferè totam compleverint: quare (1) Chryſoſtomus, qui per illud tempus Monaſticam diſciplinam admodùm adoleſcens ſectabatur: *Si quis*, inquit, *ad Ægypti veniat ſolitudines, paradiſo quovis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus*. Nec viri tantùm, ſed etiam fœminæ, Antonii præceptis atque inſtitutis imbutæ, monaſticam diſciplinam ſequebantur; plurimaque repentè Cœnobia Virginum in Ægypto extiterunt, inter quæ illud maximè celebratur, quod Pachomii ſoror à fratre inſtituta, in Thebbenenſi vico fundavit. Ejus rei extat, ejuſdem Chryſoſtomi (2) luculentiſsimum teſtimonium; qui cùm de Antonii diſſereret inſtitutis; *atque hæc*, inquit, *non in viris ſolùm; verùm etiam in fœminis ſplendere conſpicias*: addens poſt pauca: *Non ita variis aſtrorum choris cœlum refulget, ut Ægypti Eremus, innumeris Monachorum ac Virginum diſtinguitur atque illuſtratur habitaculis*. Exin-

(1) *Chriſoſt. in Matth. homil. 8. cap. 2.*

(2) *Chryſoſt. ibid.*

258. Exindè Antonii Magni vel institutione, vel exemplo formati, Monasticæ disciplinæ magistri plurimi prodiere; qui eam vivendi rationem novis regulis auctam, propagarunt in Palæstinam, in Syriam, in minorem Asiam, Cappadociam, Pontum, Mesopotamiam, Armeniam; Persidem, Indiam, & Æthiopiam; in Gothos item & Boreales regiones usque ad latrones Bessos & Dacos; de quibus sic postea cecinit (1) Paulinus:

O vices rerum, benè versa fama!
Invii montes priùs, & cruenti;
Nunc tegunt versos Monachi latrones
Pacis alumnos

. . . .

Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget Angelorum,
Et latet justus, quibus ipse latro
vixit in antris.

Et Hieronymus (2) cùm scriberet ad Heliodorum, *Indus*, inquit, *Persa*, *Gotus*, *Ægyptius*, *philosophantur* (hoc est Monasticam exercent vitam, divinarum rerum contemplationi vacantes) *Bessorum feritas, & pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis*,

(1) *Paulin. in carm. ult. de reditu Nicetæ ad Natal. S. Felic.*

(2) *Hieron. epist. 3. ad Heliodor.*

feriis, homines immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos: Idemque author, (1) cùm versaretur in Palestina, ad Letam scripsit hujusmodi *de India, Perside, Æthiopia, Monachorum quotidiè turmas suscipimus*: eorum videlicet, qui ad loca Sancta, Religionis causâ, confluerent. Quibus rebus satis apertè intelligimus, Monasticam disciplinam ab Antonio Magno profectam, latè per Orientem, & Austrum, & Aquilonem, brevissimo temporis intervallo, fuisse diffusam.

(1) *Idem ad Letam ep. 7.*

259. Sed in Occidentem quoque ea ipsa tempestate Antonii disciplina pervenit: ex Ægypto Romam illata ab Athanasio Magno: qui Salutis anno tercentesimo quadragesimo, cùm Arianæ tempestatis causâ, eam in Urbem venisset, Antonii viventis adhuc instituta, atque Pachomii Regulam secum tulit, ut eam vivendi rationem Romano Pontifici probandam (ut mea fert opinio) cæteris verò imitandam proponeret. Vix autem propositam ab Athanasio, probatamque oraculo primæ sedis, tanto studio Romana pietas arripuit, ut plurima

ma repentè tùm virorum, tùm Matronarum Cœnobia extiterint Romæ: unde momento, ut ita dicam, temporis latiùs eadem profeſsio ac diſciplina manavit, non ſolùm per Italiam, plurimaſq; Tirreni Maris Inſulas, ſed etiam tranſcendit alpes, atque in Galliam, inque alias occidentis Solis Provincias ſeſe diffudit. Itaque illo ſpatio temporis, quod à Concilio Nicæno primo, uſque ad Conſtantinopolitanum generale ſecundum fluxerat, tantus fuit Monaſticæ diſciplinæ progreſſus, ut florens atque beata ſtirps Monachorum, ad quatuor Mundi cardines ramos extenderit; ad Orientem & Occidentem, ad Auſtrum, & Aquilonem: At in Oriente per illud tempus longè valuit excelluitque multitudo & ſanctitas Monachorum; adeò ut in uno dũtaxat Nitriæ Monaſterio, quinque Monachorum millia ſub Alexandrino Machario viverent.

Quibus potissimùm institutis, Monastica disciplina, eo tempore contineretur; & quinam ante Basilium, Monachorum regulas in Oriente conscripserint?

260. QUibus potissimum institutis Monastica disciplina eo tẽpore in Oriente, præsertim in Ægypto, cõtineretur, S. Hieronymus olim indicavit, cùm de custodia Virginitatis scriberet ad Eustochium. Idipsum nos indicaturi, ejus Authoris luculentissimi verba eadem huc transferemus. Tria (1) sunt in Ægypto (inquit Hieronymus) genera Monachorum. Primum Cænobitæ, quod illi *Sauses* gentili lingua vocant; nos in communi viventes, possumus appellare. Secundum Anachoritæ, qui soli habitant per deserta; & ab eo, quòd procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod Remoboth dicunt; deterrimum atque neglectum, & quod in nostra Provincia aut solum, aut primum est. Hi bini vel terni, nec multò plures simul habitant, suo arbitratu

(1) *Hieron. ad Eustochiũ Virginẽ Paulæ Matronæ filiam, de custod. Virginitat. epist. 22.*

„ tratu ac ditione viventes ; & de eo ,
„ quod laboraverint,in mediũ partes
„ conferunt , ut habeant alimenta
„ communia. Habitant autem quam-
„ plurimùm in urbibus & castellis : &
„ quasi ars sit sancta , nou vita , quic-
„ quid vendiderint , majoris est pre-
„ tii: inter hos sæpè sunt jurgia ; quia
„ suo viventes cibo , non patiuntur se
„ alicui esse subiectos : re verâ solent
„ certare jejuniis , & rem secreti , vi-
„ ctoriæ faciunt . Apud hos affectata
„ sunt omnia , laxæ manicæ ; caligæ
„ follicantes ; vestis crassior ; crebra
„ suspiria ; visitatio virginum ; detra-
„ ctio clericorum : & si quando dies
„ festus venerit , saturantur ad vomi-
„ tum . His igitur , quasi quibusdam
„ pestibus, exterminatis, veniamus ad
„ eos , qui plures innt , & in commu-
„ ne habitant, idest,quos vocari Cœ-
„ nobitas diximus .

261. „ Prima apud eos confedera-
„ tio est , *obedire majoribus* , & quid-
„ quid jusserint , facere . Divisi sunt
„ per decurias, atque centurias; ita ut
„ novem hominibus , decimus præsit;
„ & rursus decem præpositos sub se

 cen-

„ centesimus habeat: manent separa-
„ ti, sed junctis cellulis: usque ad ho-
„ ram nonam, ut institutum est, nemo
„ pergit ad alium, exceptis his De-
„ canis, quos diximus;ut si cogitatio-
„ nibus fortè quis fluctuat, illius con-
„ soletur alloquiis: post horam no-
„ nam in commune concurritur: psal-
„ mi resonant: scripturæ recitantur ex
„ more:& completis orationibus, cũ-
„ ctisque residentibus, medius, quem
„ patrem vocant, incipit disputare:
„ quo loquente, tantum silentium fit,
„ ut nemo alium respicere, nemo au-
„ deat excreare: dicentis laus in fletu
„ est audientium. Tacitæ voluuntur
„ per ora lacrymæ, & ne in singultus
„ quidem erumpit dolor:cùm verò de
„ Regno Christi,& de futura Beatitu-
„ dine, & de gloria cæperit annun-
„ ciare ventura, videas cunctos, mo-
„ derato suspirio,& oculis ad Cœlum
„ levatis, intra se dicere: quis dabit
„ mihi pennas sicut columbæ,& vola-
„ bo, & requiescam. Posthæc conci-
„ lium solvitur, & unaquæque decu-
„ ria cum suo parente pergit ad men-
„ sam, quibus per singulas hebdoma-
„ das

„ das viciſsim miniſtrant. Nullus in
„ cibo ſtrepitus eſt: nemo comedens
„ loquitur: vivitur pane, legumini-
„ bus, & oleribus, quæ ſale ſolo con-
„ diuntur: vinum tantùm ſenes acci-
„ piunt; quibus, & parvulis ſæpè fit
„ prandium; ut aliorum feſſa ſuſten-
„ tetur ætas; aliorum non frangatur
„ incipiens. Dehinc conſurgunt pa-
„ riter, & hymno dicto ad præſepia
„ redeunt: ibi uſque ad veſperam cum
„ ſuis unuſquiſque loquitur, & dicit:
„ Vidiſtis illum & illum? quanta in
„ ipſo ſit gratia? quantum ſilentium?
„ quàm moderatus inceſſus? Si infir-
„ mum viderint, conſolantur; ſi in
„ Dei amore ferventem, cohortantur
„ ad ſtudium. Et quia nocte, extra ora-
„ tiones publicas in ſuo cubili unuſ-
„ quiſque vigilat, circumeunt cellu-
„ las ſingulorum, & aure appoſita,
„ quid faciant, diligenter explorant;
„ quem tardiorem deprehenderint,
„ non increpant; ſed diſsimulato quod
„ norunt, eum ſæpiùs viſitant & priùs
„ incipientes, provocant magis orare,
„ quàm cogunt. Opus diei ſtatum eſt:
„ quod Decano redditum fertur ad

„ œconomum; qui & ipſe per ſingulos
„ menſes Patri omnium cum magno
„ tremore reddit rationem ; à quo
„ etiam cibi cùm facti fuerint prægu-
„ ſtantur: & quia non licet dicere cui-
„ quam: tunicam, & ſagum , textaque
„ juncis ſtrata non habeo:ille ita uni-
„ verſa moderatur, ut nemo quid po-
„ ſtulet, nemo non habeat. Si quis ve-
„ rò cæperit ægrotare , transfertur ad
„ exedram latiorem; & tanto ſenum
„ miniſterio confovetur , ut nec deli-
„ cias urbium , nec matris quærat af-
„ fectum . Dominicis diebus oratio-
„ ni tantùm , & lectionibus vacant :
„ quod quidem & omni tempore, cõ-
„ pletis opuſculis , faciunt . Quotidie
„ aliquid de ſcripturis diſcitur . Jeju-
„ nium totius anni æquale eſt , exce-
„ pta Quadrageſima, in qua ſola con-
„ ceditur diſtrictius vivere : à Paſcha
„ ad Penteceſten cænæ mutantur in
„ prandia ; quo & traditioni Eccle-
„ ſiaſticæ ſatisfiat , & ventrem cibo
„ non onerent duplicato. Tales Philo,
„ Platonici ſermonis imitator , tales
„ Joſephus Græcus Livius , in ſecun-
„ da Judaicæ captivitatis hiſtoria Eſ-
„ ſenos refert .

Ve-

262. „ Verùm quia nunc, de Vir-
„ ginibus ſcribens ; penè ſuperfluum
„ de Monachis diſputavi, ad tertium
„ genus veniam , quos Anachoritas
„ vocant : qui & de cœnobiis exeun-
„ tes, excepto pane, & ſale, ad deſer-
„ ta nihil proferunt amplius . Hujus
„ vitæ author Paulus , illuſtrator An-
„ tonius , & ut ad Superiora conſcen-
„ dam, Princeps Joannes Baptiſta fuit.
„ Talem verò virum Hieremias quo-
„ que Propheta deſcribit, dicens: Bo-
„ num eſt viro, cùm portaverit jugum
„ ab adoleſcentia ſua : Sedebit ſolita-
„ rius & tacebit, quoniam ſuſtulit ſu-
„ per ſe jugum, & dabit percutienti ſe
„ maxillam : ſaturabitur opprobriis,
„ quia non in ſempiternum abjiciet
„ Dominus . Hæc Hieronymus : qui-
bus ſatis eſt indicatum , cujuſmodi eo
tempore eſſe ſoleret in Oriente Mona-
chorum ratio & diſciplina : jam brevi-
bus indicabo , quinam ante Baſilium
Monachorum regulas in Orienre con-
ſcripſerint.

263. Antonius ipſe Magnus, tamet-
ſi, ut ab Athanaſio accepimus, fuiſſet
ſolitus dicere : *Ad omnem mandatorum*
diſci-

disciplinam Scripturas posse sufficere: instantibus tamen discipulis in Monasterio Nacalon, octo supra quadraginta constituit regulas.

264. Isaias deinde Abbas, octo & sexaginta præcepta, sive consilia iis statuit, qui Monachatus tyrocinium ponerent.

265. Præterea SS. PP. Serapion, Macharius, Paphnutius, & Macarius alter, collato invicem studio, Monachorum Regulam condiderunt divisam in partes tres: quarum prima, sex supra decem; altera septem; tertia quatuordecim capitibus continetur.

Tùm Macarius tertius, Alexandrinus, qui Monachorum quinque millia sub se habuisse proditur in Monasterio Nitriæ, triginta, suis Alumnis, addidit regulas.

Sed celeberrima imprimis, ea semper habita est Regula, quam Sanctus Pachomius, dictante Angelo, in vico Tabennensi, seu Tebbennensi conscripsit: quam Pachomij Regulam, Athanasius Magnus, uti diximus, Romam intulit primus. In quatuor veluti

ti partes, ea Regula eſt diviſa: Prima pars ſic inſcribitur. *Patris noſtri Pachomij hominis Dei, qui fundavit cõverſationem Cœnobiorum à principio, per mandatum Dei, hoc eſt exordium præceptorum.* Pars altera, titulum præfert hujuſmodi: *Præcepta, & inſtituta Patris noſtri Pachomij hominis Dei, qui fundavit ab exordio Sanctæ vitæ communionem.* Tertiæ partis hæc eſt inſcriptio: *Ejuſdē Patris noſtri Pachomij præcepta, atque Judicia.* Quarta demum atque poſtrema, hoc argumento continetur: *Præcepta, ac leges Patris noſtri Pachomij, de ſex orationibus veſpertinis, & de collecta, quæ per ſingulas domos fit ſex orationum.* His accedunt monita quædam, brevi capitulo comprehenſa; tùm Epiſtolæ plures, *& verba mystica*, quæ ab Angelo pariter Pachomius didicerat. Ejuſmodi verò Pachomii opera, quæ ad Cœnobitarum pertinent diſciplinam, ægyptio primùm, mox græco ſermone conſcripta, S. (1) Hieronymus latinitate donavit, rogatus a Sylvano Presbytero; eâque etiam causâ ductus, quod in Monaſterio *Metaneæ*, Latinorum plurimi

(1) *Hieronym Præf. ad Pachomii Regulam.*

rimi

rimi viverent, qui Ægyptiacum, græcumque ſeronem ignorarent.

266. Orſieſius quoque Cœnobita ſanctiſſimus Pachomij, ac Theodori collega, tractatum quendam in capitula ſex & quinquaginta diviſum, ad Cœnobitarum inſtitutionem conſcripſit: de quo tractatu, deque ipſo authore Orſieſio, hujuſcemodi ſcribit Gennadius. *Orſieſis Monachus amborum, ideſt Pachomij, & Theodori collega, vir in ſanctis ſcripturis, ad perfectum inſtructus, compoſuit librum, divinum conditum ſale; totiuſque Monaſticæ diſciplinę inſtrumẽtis conſtructum: & ut ſimpliciter dicam, totum penè in eo vetus & novum teſtamentum, compendioſis diſſertionibus, juxtà Monachorum dumtaxat neceſſitatem, invenitur expoſitum: quem tamen vice teſtamenti, propè diem obitus ſuis fratribus obtulit.* De Sanctis Monachis, Pachomio, Theodoro, & Orſieſio, hæc etiam ſcripſit (1) Hieronymus: *qui primi per Thebaidem & Ægyptum, cœnobiorum fundamenta jecerunt, juxta præceptum Dei, & Angeli, qui ad eos ob hanc ipſam inſtitutionem miſſus fuerat.* Sed

(1) *Hieronym ibid.*

267. Sed ex alijs etiam ejus temporis Monachorum Patribus, instituta quædam, Vigilius Diaconus collegit, ex quibus Regulam composuit, quæ *Orientalis*, sive Patrum Orientalium inscribi solet; & septem supra quadraginta capitulis continetur: cujus Oriẽtalis regulę (1) Gennadius, (2) Smaragdus Abbas, atque (3) Annales Trevirenses identidem meminerunt.

268. Si cui fortè cupido incesserit, quas diximus legendi Regulas; partim ab Antonio Magno; Partim ab ipsius Alumnis, vel imitatoribus traditas Cœnobitis; is Regularum codicem legat; quem olim sub annum salutis 820 a Sancto Benedicto Abbate Anianensi collectum, Lucas deindè Holstenius, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, anno 1661 in tres partes digestum auctumque edidit.

269. Ex his autem Regulis, tùm ex alijs omnibus, quæ de Monasticæ vitæ progressu ac disciplina per Antonium, ejusq, Alumnos, hactenus memoravimus, alia quædam notatu digna coniiciuntur, ac veluti spontè descendunt; quæ sunt hujuscemodi.

(1) *Gennad. Massiliens. de scriptor. Eccl. cap.* 51.

)1) *Abb. Smaragdus in expofit. Regul. S. Bened. cap.* 28.

(1) *Annal. Trevirens in Apolog. Monast. S. Maximi par.* 2. *cap.* 1.

I. Cum

I. Cùm Antonius Magnus, atq; Antonii deinde diſcipuli, qui Baſilium tempore anteceſſerunt, ad tantum robur, tantamque celebritatem, tàmque perfectam vivendi normam, Cœnobitarum inſtitutum, per totum ferè terrarũ orbem adduxerint; primus certè Monachorum author, aut Cœnobiticæ vitæ fundator abſolutè dici, aut haberi Baſilius minimè poteſt. II. Etſi magnus Antonius Cœnobitarum inſtitutor, aut certè Reſtitutor primus extiterit, altor, & propagator; tantum tamen cœnobiticæ diſciplinæ addidit Pachomius iis, quas Angelo dictante conſcripſit, regulis; ut hunc, fundatorem Cœnobiorum, atque parentem primum in commune viventium, ſcriptores antiquiſſimi, atque memoriæ veteres prodant. III. In tanta Monachorum multitudine, & varietate locorum, diſcrepans aliquantò vitę cultus, ac diverſorum Cœnobiorum, diverſa parumper inſtitutio erat, ac diſciplina: primique illi Principes atque Duces cœnobitarum, cùm Antonii Magni idem propoſitum, idemq; vivendi genus ſibi omnes ſtatuiſ-

fuissent; alius tamen aliâ viâ & ratione utebatur: & gregem quisque suum suis quisque regulis instituebat: tametsi minima, ea diversitas foret, & in rebus sita levissimis. IV. Omnes illius temporis Cœnobitæ, eam vivendi rationem sequebantur, quæ *contemplativa* vocari solet. *Paupertatem*, *Castitatem*, & *Obedientiam* omnes pariter aliquomodo profitebantur: at quo ritu, quove sacramenti genere iis se vinculis obligarent, satis exploratum non est. Omninò subiiciebantur Patriarchis, & Metropolitanis, qui Monachorum Cœnobia visitare, Præpositos constituere, disciplinam moderari ac temperare identidem cõsueverant; quod ab Athanasio in Ægypto; à Meletio Antiocheno in Syria factum legimus; quin etiam in Arabica collectione extat Nicænus Canon, qui est ordine decimusquartus; quo Canone cautũ erat; *ne quis fiat Monachus sine licentia Episcopi*. Illud etiam satis certum mihi videri solet, monasticam disciplinam jam indè fuisse confirmatam, authoritate Romanæ Sedis, nẽpè Iulii Pontificis sub annum 340 tunc nimi-

nimirum, cùm Athanaſius Antonii vitam, atque Pachomii Regulam Romam tulit. V. Uniformis ubique (ſi levia quædam, quod diximus excipias) Monachorum cultus erat & ratio: facilis & ferè promiſcuus invicem tranſitus ab uno ad alterum Cœnobiorum: quamvis id vitio duceretur, ſi ſine cauſa fieret. VI. Id etiam in more poſitum erat, ut ex eremo ad Cœnobia (quod erat proclivius) & ex Cœnobiis ad Eremos (quod non niſi poſt diuturnum experimentum, & viris in virtute obfirmatiſſimis concedebatur) migrare Monachi poſſent. VII. Fœminæ, atque Virgines, quæ vitam colerent cœnobiticam, iiſdem Monachorum præceptis inſtitutiſque vivebant: ut de his accepimus, quę Pachomii Regulam iu Tebbenneníi vico, ab ejuſdem Pachomii ſorore inſtitutæ ſectabantur; de quibus Virginibus, in Pachomii vita ſcribitur, *Monachis omninò ſimilem, earum fuiſſe inſtitutionem*; exceptis Melotis, hoc eſt caprinis pellibus, confectis albis, quibus uti fœminæ vetabantur; cùm tamen viris aut dormire ſine Melotis,

aut

aut comedere, nefas esset. Sed in urbibus etiam, Monasteria Virginum, eo tempore cœperunt ædificari: quod primò Romæ factum creditur; tùm Alexandriæ, Antiochiæ, aliisque locis plurimis, tùm occidentis, tùm orientis Solis. Athanasius Magnus instituta edidit præclarissima, quibus urbanæ Virgines ad virtutem omnem, aptamque sexui disciplinam informarentur.

De Monasticæ Disciplinæ progressu, Basilii Magni operâ.

269. S. BASILIUS MAGNUS, vertente salutis anno 356, cum Liberius Ecclesiam, Constantius Imperium Orientis moderaretur, ipseque Basilius octavum supra vigesimum ageret ætatis annum, peregrinationem in Syriam, & Ægyptum suscepit. In patriam, eodem anno reversus, Monasticam disciplinam, quã ab Ægyptiis, Syrisque Monachis didicerat, in Ponti regionem intulit primus: exindè Monasterium extruxit apud Iborim, quæ parva erat civitas,

ad ripas Iris fluminis; propè quē locū Basilii familia pollens genere, atque divitiis prædia possidebat amplissima. Eo in Monasterio (quod primū, credo, fuit Basilianorum Cœnobium) socios, alumnosque plurimos habere cœpit: quorum ipse curam suscipiens, Monachorum Pater evasit. Tùm ut erat scientiis, divinarumque litterarum prudentiâ magis omnibus præditus, præclaram Regulam, ac divina quædam instituta conscripsit, quibus veterem, ac veluti agrestem Ægyptiorum Monachorum disciplinam, ad lōgè meliorem formam, magisque *Religioni* congruentem adduxit: cujus rei causa Basilius, religiosorū Ordinum author primus haberi solet. Inter Basilii scripta *Ascetica* Hieronymus posuit, quo nomine, quas diximus Basilii Regulas appellavit; tametsi non defuerint, qui easdem Basiliii Regulas, sive *Ascetica illa*, Eustathio Episcopo Sebasteno, Ariano nequissimo, Basilii hosti acerbissimo, falsò tribuerent. Postquàm Cæsareensem Episcopatum, Basilius Magnus obtinuit; Monachorum curam Petro fratri, viro

ro sanctissimo demãdavit. Exindè verò latiùs Basilii regula propagari cœpit: primò in Cappadociam, Armeniam, & partes reliquas Ponticæ regionis: tùm Cœnobia plurima Monachorum per Syriam, Ægyptum, & Palestinam, vel ab ipso Antonio, vel ab Antonii discipulis instituta, priorem suam disciplinam, non ita sanè adhuc formatam, ad Basilianæ institutionis normam composuerũt. Post verò Monachorum Cœnobia, & societates celebriores, quotquot de novo extiterunt per Orientem, aut etiam in Thracia, in Græcia, in Illyrico, perque Insulas Ægæi Maris: Sinaitæ, Acemitæ, Diitæ: magna Laura S. Sabbæ tot Sanctorum altrix & nutrix fœcundissima; Monasteria item Sanctorum Euthymii, Charitonis, Theodosii Cenobiarchæ, atque alia propè innumera, sub Basilii nomine atque Regula militabant. Demùm volventibus annis, prioribus institutis aut extinctis, aut obscuratis, aut ad summã paucitatem redactis; solum Basilii nomen, universam Orientalium Monachorum posteritatem obtinuit: ita

quidèm, ut quotquot nunc in Oriente universo, iisque regionibus, quæ orientalis Ecclesię ritibus vivunt, Monachi existunt, *Basiliani* sint ferè omnes: felices admodùm atque beati, si tanti Parentis integram custodirēt hęreditatem; & ut nominis, ita fidei, atque virtutum hæredes forent.

270. Sed in Occidentem quoque Basilii Magni institutio ac disciplina manavit; qua in re duplex fama est, & scriptorum opinio: Quidam putarunt, posterioribus sæculis id evenisse, atque Basilianos Monachos, ex Oriente in Occidentem, Iconomachorum tempestate fuisse primùm delatos. Alii contra & fortasse veriùs contendunt, cùm adhuc viveret Basilius, in Occidentem venisse; eandemq; deindè, in exitu quarti sęculi, diffusam latè fuisse, propagatamque per Italiam & Galliam, aliasque Regiones occidentales. In quibus Regionibus Basilianę stirpis propago generosissima radices egit feliciùs: nam posteà in orientis Solis plerisque partibus, Monachos etiam schisma corripuit; quod cùm Basilianæ disciplinæ, corrupta fide, animam

mam veluti extinxerit, quod supereſt, cadaver eſt. In Occidente verò Baſilianos Monachos ea peſtis non tetigit: quare apud hos fide integerrimos, tota Baſilianæ inſtitutionis manet hæreditas; floret Sanctitas; viget diſciplina.

271 Illud etiam hic addendum cẽſeo, Baſilii Regulam, omnium primam, fuiſſe in jure ſcripto probatam; ob eamque rem, Religioſorum Ordinum primus, jure Baſilianus habetur.

272. Sed eodem tempore, quo Baſilius Magnus Monachorum Cœnobiũ apud Iborim fundavit, Virginum quoque Monaſterium, aliarumque Mulierum, apud eandem urbem, Emmelia Baſilii Mater, atque Macrina ſoror extruxerunt: ibique primùm Baſiliana regula coli, obſervarique cæpit à fœminis: quarum regimen Macrina præſertim ſuſcepit, virilis animi ac ſanctitatis fœmina, quæ in eo Monaſterio cùm vidua matre vixit, atque obiit ſanctiſſimè. Atque hæc ſatis de Monachorum progreſſu.

De sacrorum Rituum Instauratione.

273. EO etiam tempore sacris rebus major quidam decor accessit: namque ritus illi, Christianæ Religionis, quos furiosa Ethnicorum Principum superstitio, & ingruentes undique persecutionum terrores, longè ablegaverant, eo ipso fuerunt tempore restituti: instaurati prætereà, quos violaverat hæresis: explicati, qui penderent adhuc ancipites: alii etiã de novo, prout res ac tempora postulassent, authoritate legitimâ instituti. Quæ omnia partim in Conciliis per Orientem tunc celebratis; partim a præcipuis fiebant Ecclesiarum Præsulibus; ubi earum rerum ordinandarum spatium daret Ariana tempestas. Tres præsertim ritus (nam de aliis dubitatur) à Nicænis Patribus ordinatos fuisse, certò novimus: Fixus omnibus ubique Ecclesiis, celebrandi Pascatis dies, *juxta* decretum Victoris Papæ, Statutum, (1.) nè minùs quàm à tribus Episcopis, Episcoporum fieret in posterùm ordinatio. Decre-

Canon. 20.

tum

tum (2) pariter, nè fideles, diebus Dominicis, aut Pentecostes genua flecterent; sed stantes Deo vota persolverent. Alia etiam plura, quæ ad Religionem pertinent, iis fuere temporibus per Orientem ordinata.

274. Sed illud imprimis memoriâ dignum puto, quod ad sacra mysteria majori cum ordine, ac majestate, celebranda, contulit Basilius Magnus: qui egregiâ operâ, intentoque studio, sacra, preces, mysteria, cæremonias, ac ritus, quæ anteà certo minùs ordine obibantur in Sacrificio Missæ, viâ & ratione ordinavit composuitque: Idemque protulit sacras illas Liturgias, quæ toto terrarum Orbe celeberrimæ habentur: quibus paulatim pars major orientalium Ecclesiarum uti cœpit: quibusque ad hunc etiam diem, certis anni diebus, totoque ferè *magnorum jejuniorum* tempore Ecclesia Græcanica utitur; quin potiùs, ut veriùs dicam, eas exercet quotidie; nàm quæ vulgò Chrysostomi vocatur, cujus est usus ferè quotidianus, ea sanè Basilii est ipsissima Liturgia, quibusdam dumtaxàt in locis

ne fastidium debilioribus crearet, a Chrysostomo decurtata; ob eamque solùm causam, Chrysostomi dici solet.

275. Scribendum hìc mihi foret de Ritibus, quibus eo tempore, Sacramenta, ejusq; generis alia, per Orientem solerent confici, quæve iis in rebus, variarum Ecclesiarum varietas, & consuetudo foret: verùm ea operosa res est, & major, quàm hic pro merito tractari queat.



CAPUT



CAPUT NONUM.

De Orientalium ejus temporis Obſequio erga Romanam Sedem, deque Romanæ Sedis erga Orientales ſolicitudine.

276 On ſic ramus robori adhæret; nec tam arctè humano capiti, membra cætera conjunguntur, ut, per illa beata tempora, Eccleſia Orientalis adhærebat Romanæ Sedi. Omnium tunc Chriſti fidelium ſive per Orientem, ſive per Occidentem, una ſolùm erat ſocietas, eâdemque fide coagmentata Communitas: eoſque populos ſive occidentis, ſive orientis Solis, quos, interjectis locorum ſpatiis,

tiis,

tiis, natura diremit, animorum summâ conjunctione Religio copulabat. Itaque ex veteri, divinoque instituto, eam officiorum religionem, atque vicissitudinem, hinc Romana Sedes, illinc Orientalium prestantissimi exercebant, quam inter Caput, & membra; inter Præpositum, & subjectos par est intercedere: Orientales in obsequio summo erant erga Romanam Sedem: vicissim Romana Sedes incredibilem Orientalium gerebat solicitudinem. Ejus ego rei argumenta quædam hic indicabo: sed quàm brevissimè; copiosiùs de iisdem rebus in Polemica parte, subtiliùsque scripturus. Hoc verò præsenti capite continentur ejusmodi: I. De obsequio Cōciliorum orientalium, eo tempore congregatorum, erga Romanam Sedem. II. De obsequio Patriarchatus Alexandrini. III. De obsequio Patriarchatus Antioncheni. IV. De obsequio aliorum Episcoporum oriētalium. V. De obsequio S. Gregorii Nazianzeni Theologi. VI. De obsequio S. Basilii Magni. VII. De obsequio Imperatorum, qui orientale

de Imperium eo tempore administrarunt. VIII. De obsequio ipsorummet hæreticorum orientalium. Tùm ad Romanæ Sedis erga Orientales solicitudinem gradum facientes, dicemus. I. De solicitudine S. Silvestri Pontificis. II. De solicitudine S. Julii Pont. III. De solicitudine Liberii Pont. IV. demum de solicitudine S. Damasi.

De obsequio Conciliorum orientalium, eo tempore congregatorum erga Romanam Sedem.

272. NIcenae imprimis magnæ Synodi hic est authoritas adhibenda: cujus præsertim Concilii Patres, præclarissima obsequii sui erga Romanam Sedem argumenta dederunt: namque primò ad nutum Silvestri Pontificis, Romanęq; Sedis voluntati, imperioque (1) obsequentes ad id Concilium se contulerunt. Tùm principem in ea Synodo locum, Osio, Vincentio, atque Vitoni, quod Silvestri Pontificis vices gererent, Patriarchis posthabitis, (2) tribuerunt: Osium (3) præsertim observantes veluti

(1) *Vide supra cap. 4. n. 110. & infra in Polem. dissertat. 1.*

(3) *Vide ibidem de fuga sua.*

(3) *Athanas. apol. 2. Photius Biblioth. in Gelas Cizycen. & c. 8. ad Michael. Bulgar. reg. vide infrà in polem.*

luti Concilii caput atque ductorem, eâ ducti religione, quod is, primus præcipuusque Silvestri Legatus, faciem veluti Romanæ Sedis, authoritatemque secum tulerat in Orientem. Exinde cùm sextum conderent canonem, eoque Patriarcharum cuilibet sua jura, suæque ditionis certos statuerent fines; de Romano tamen, movere ausi sunt nihil: contenti solùm illud pronuntiasse: (1) *Romana Ecclesia semper habuit Primatum*: ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔσχε τὰ πρωτεῖα: existimarunt nimirùm sapientissimi Patres supervacaneum fore, de illa Potestate quicquam decernere, quæ à Christo profecta est: eamque finibus describeri ditionem, quam illimitatam veluti esse scirent, atque perpetuam. Hanc Patrum mentem assecutus, ita scripsit Pontifex (2) Bonifacius: *Nicenæ Synodi non aliud præcepta testantur: adeo ut non aliquid super eã ausa sit constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri.*

278. Suum etiam in Romanam Sedem obsequium, cum præclarissima opinione conjunctum, declararunt Ni-

(1) *Conc Nicæni sextus Canon, ut recitatur in Cõcil. Chalcedonense f. Action. xvi. & ult. Vide in Polemicis dissert 1.*

(1) *Bonifac. Pont. ad Episcop. Thessal. relatus a Nicalao P. Epist. ad Michael. Imp. tom. 2. Concil.*

Nicæni Patres, eo canone, qui in Arabica collectione (cujus (1) maxima est habendo ratio) est ordine trigesimus nonus: nam ejusmodi eo leguntur in Canone: *Ita se habet ad omnes Archiepiscopos & Episcopos sui Patriarchatus Patriarcha, quemadmodum ad omnes Patriarchas se habet Episcopus Romæ, nempè ipsorum est caput, & primus omnium, quemadmodum erat Petrus, cui data est spiritualis potestas super omnes Principes Christianos, & super omnes ipsorum populos, tanquam Vicario Domini nostri Jesu Christi, & capiti universalis Ecclesiæ.*

(1) *vide inferius in Polemica parte dissert.* 1.

Exacto demum (2) Concilio, eorum omnium, quæ statuerant, confirmationem à Romano Pontifice datis litteris petierūt. Ex quibus intelligi facilè ac plane poterit, Nicænorum Patrum erga Romanam Sedem, quantum obsequium foret.

(2) *vide ibid.*

279. Alexandrinum exinde Concilium quoddam, anno 339 initum est ab Episcopis Ægypti, aliarumque Provinciarum ditionis Alexandrinæ, cujus ineundi Concilii, ea Patribus unicè causa extitit, quò testimonium

pro (1) Athanasio synodicè adornarent, idque mitterent per Legatos ad Pontificem Julium, qui tunc de magno illo Alexandriæ Patriarcha, quæstionem Romæ agitabat: ipsumque orarent Pontificem ne quid gravius in virum sanctum consuleret; nevè fidem Arianorum dolis, fictisque in Athasium criminibus adhiberet. Qua sanè in re, quantum in Romanam Sedem obsequii præ se tulerint ejus Alexandrini Concilii Episcopi Orientales, nemo est quin intelligat.

(1) *Ex epist. Iulii Pont. apud Athanas. Apol. 2. pag. mihi.*

275. SARDICENSE Concilium anno 347 celebratum, in (2) maximo etiam fuit Romanæ Sedis obsequio: namque primò ejus Synodi Patres, Imperio Julii Pontificis, ex tot Provinciis, dissitisque locis translati, Sardicam convenerunt, die ab eodem Pontifice constituta. Tùm in Legatos Romanæ Sedis, honores principes præcipuosque contulerunt. Exinde Julii sententiam, pro Athanasio, & Marcello, atque aliis orientalium Ecclesiarum Episcopis Romæ prolatam, sanctam & inviolabilem habuerunt, habendamque ab omnibus decreverunt.

(2) *Vide cap. 1. num. 31.*

runt. Ad hæc ſupremum Judiciorum arbitrium, quod Chriſtus, per Petrum, penès Romanam Sedem eſſe voluit, tribus editis Canonibus (1) aſſeruerunt. obviam euntes (2) Arianorum audaciæ, qui Julii Pontificis imperium, eos Romam in quæſtionem vocantis, primò tergiverſando, mox apertè repugnando, violaverant. Abſolutâ denique Synodo, ad eundem Julium dederunt (3) epiſtolam honoris, obſequiique plenam: cujus epiſtolæ eam huc particulam transferendam putavi, quæ, non ita poſt initium poſita, eſt hujuſmodi: *Hoc enim optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſque Provinciis, domini referant Sacerdotes*. Quæ omnia palàm faciunt, Sardicenſis Concilii, de Romana Sede quanta foret opinio; quantoque ſimul obſequio eam Sedem coluerit & obſervaverit.

(1) *Canon*. 3. 4. 5.

(2) *Vide cap*. 1. *n*. 32. *cap*. 2. *num*. 83. *cap*. 5. *num*. 321.

(3) *Epiſt. Concil. Sardicenſ. ad Iulium P. apud S. Hilar. in fragm. lib*. 1. *pag*. 15. 16. 17., & *tom*. 1. *Concilior*.

276. ALEXANDRINUM Concilium aliud, ſalutis anno 362. initum eſt; cùm Liberius Eccleſiam regeret; Imperiumque premeret Apoſtata Julianus: ejus Concilii obſequium erga

Ro-

RomanamSedem inde percipitur; tùm quod actorum suorũ confirmationem à Liberio Pontifice (1) postulaverit: tùm quod Paulini Antiochẽsium Episcopi ordinationem à Romanæ Sedis authoritate proficiscentem, ratam habendam, atque inviolabilem duxerit: dederitque litteras ad Antiochenos, civili schismate distractos, ut PaulinoEpiscopo sese adjungerẽt: *coaptantes vos interim dilecto nostro Paulino, ejusque sociis.*

(1) *Athanas. rescript. ad Liber. quod exstat inConcil. Nicæn.* 2 *act.* 1. *Hieronym. advers. Lucifer. tom.* 2.

282. Tyanensis quoque Synodus in Cappadocia, reparatæ salutis anno 365 celebrata, splendidum suæ in Romanam Sedem obedientiæ præstitit documentum: nam ad simplicem Liberii Pontificis nutum, ejusdemque litteris obsecuta Eustathium restituit, Episcopum Sebastenum, hominem cœteroqui suspectum in Oriente, atque in duobus Cõciliis orientalibus exauctoratum, Constantinopoli videlicet ac Melitinæ. Rem his (1) prosequitur Basilius: *Episcopatu dejectus* (Eustathius) *propterea quòd in Melitina Synodo depositus esset, viam sibi ipsi, per quam restitueretur, excogitavit: eam vide-*

Basilius epist. 74.

videlicet, *ut ad vos* (ad Romanam nempè Sedem) *proficisceretur*. *Quæ vero sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio proposita*, *&* *ad quæ consenserit nobis clàm est* ; *nisi quod epistolam attulit per quam restitueretur* : *eam ubi Tyanę Synodo exhibuit*, *in suũ locum restitutus est* καὶ οὕτως ἀπελαθεὶς τῆς ἐπισκοπῆς, διὰ τὸ ἐν Μελιτινῇ προκαθῃρῆσθαι, ὁδὸν ἑαυτῷ τῆς ἀποκαταστάσεως ἐπενόησε, τὴν ὡς ὑμᾶς ἄφιξιν. καὶ τίνα μὲν ἐστὶν ἃ προετάθη αὐτῷ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Λιβερίου τίνα δὲ ἃ αὐτὸς συνέθετο, ἀγνοοῦμεν. πλὴν ὅτι ἐπιστολὴν ἐκόμισεν ἀποκαθιστῶσαν αὐτὸν ἣν ἐπιδείξας τῇ κατὰ Τύανα συνόδῳ ἀποκαθέστη τῷ τόπῳ.

283. ALEXANDRINA item alia, Athanasii operâ, anno 368 celebrata Synodus, in Romanam Sedem obsequentissima fuit : namque ob eam solùm rem, ejus Concilii Patres, Athanasio duce, convenerunt, ut (1) Pontifici Damaso, quòd Ursacium, atque Valentem solemni judicio damnasset, synodicè gratias agerent : simulque illum rogarent, ut Auxentium quoque famosissimum Arianum, & Mediolanensis Episcopatus invasorem, senten-

(1) *Athanas. ad Afr. Theod. lib. 2. cap. 17. Vide cap. 5. huius libelli num. 128.*

tiâ notaret, usurpatâque Sede moveret.

484. ANTIOCHENUM demùm Concilium anno 379, nono mense à Basilii obitu initum, fidei regulam, sive anathematismos à S. Damaso missos, summa Patrum consentione recepit & obsignavit: aliaque præterea, singularis in Romanã Sedem obsequii, præstitit argumenta. Verùm de obsequio Conciliorum orientalium satis pro loco diximus: plura de his, in Polemica parte, ex instituto dicemus.

De obsequio Patriarchatus Alexandrini erga Romanam Sedem.

285. QUamvis ex his, quæ de tribus Alexandrinis Conciliis nuper memoravi, eximium Alexandrini Patriarchatus obsequium erga Romanam Sedem perspectum satis, exploratumque omnibus fore putem; ea tamen non videntur exempla observantiæ prætereunda, quæ Romanis Pontificibus, primò Alexander, deinde Athanasius Magnus, postea Petrus Episcopi Ale-

Alexandrini, virique summi, ac memorabiles præstiterunt: nam & multa sunt ea exempla, & longè præclarissima; & Alexandrinæ ditionis obsequium in eandem Romanam Sedem declarant maximè.

286. S. quidem Alexander Alexandrinus Patriarcha, sub annũ 320, Arii causam ad Silvestrum Pontificem detulit per epistolam: cumque antea, ut Judicis ordinarii partes expleret, suorum Episcoporum Concilium convocasset Alexandriam, eoque in Concilio, hæresiarcam cum sociis aliquot expunxisset ab societate fidelium, de his omnibus eidem Pontifici reddidit rationem: *manent litteræ* (ita scripsit ad Constantium Imperatorem Liberius (1) Papa) *Alexandri Episcopi, olim ad Silvestrum sanctæ memoriæ, destinatæ, quibus significat, ante ordinationem Athanasii, undecim tàm Praesbyteros, quàm etiam Diaconos, quòd Arii hæresim sequerentur, se Ecclesiâ ejecisse.*

(1) *Liberii Epistola ad Constãtium in Bibliotheca Patrum t. 9.*

287. Tùm tantùm Osio tribuit, qui cum vicaria Silvestri Pontificis potestate, venerat Alexandriam, ut ei Le-

gato, suam veluti ditionem, summâ obsequii religione submiserit. Itaque Osius ejus Patriarchatus Episcopos in Concilium vocavit: idq; Concilium Alexandriæ fieri jussit: principemque juris ac dignitatis locum in eadem Synodo tulit: seditque ibi Dux veluti & Pater & Judex, Alexandro Patriarcha posthabito: hujus in Arianos latam sententiam, iterùm in quæstionem vocavit: aliaque ejus generis arbitria plurima fecit. Qui vero Romanæ Sedis Legato tàm religiosa jura tribuerit, hujus animo quantum sederet obsequium, nemo non viderit.

288. Sed quid de Athanasio Magno dicemus! hic ille fuit omnium clarissimus Alexandriæ Patriarcha, qui nutu imperioque Julii Pontificis, bis Romam ex Ægypto convolavit: qui ad Tribunal Romanæ Sedis stetit veluti reus, in quæstionemque vocatus. Hic cum accusaretur ab Arianis, Romæ judicium subiit: cùm a Romano Episcopo citaretur; comparuit: cùm postularetur, causam dixit: cum absolveretur, sedem dignitatemque recepit. *Neque spontè* (inquit Julius

de

de (1) Athanasio) *sed litteris nostris ad judicium vocatus comparuit, quemadmodum vos per litteras citavimus:* καὶ γὰρ οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἐλήλυθεν, ἀλλὰ κληθεὶς, καὶ λαβὼν γράμματα παρ᾽ ἡμῶν, καθάπερ, καὶ ὑμῖν ἐγράψαμεν. *Neque ego*, inquit (2) Athanasius, *amplius judicio indigeo, iudicatus enim sum non semel, & iterùm, sed sæpius: primò in nostra Provincia, cùm ad id coissent propemodum centum Episcopi; Secundò Romæ accusante Eusebio, & nobis, & illis comparentibus. &c.* Οὐκ ἔτι γὰρ κρίσεως δεῖται τὰ καθ᾽ ἡμᾶς. κέκριται γὰρ οὐχ ἅπαξ οὐδὲ δεύτερον, ἀλλὰ καὶ πολλάκις. πρῶτον μὲν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ χώρᾳ συναγομένῃ ὑπὸ ἐπισκόπων ἐγγὺς ἑκατόν. δεύτερον δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ γράψαντος εὐσεβίου, καὶ κληθέντων αὐτῶν τε, καὶ ἡμῶν, καὶ συναχθέντων ἐπισκόπων κἀκεῖ, πλέον πεντήκοντα. Verùm de his omnibus in Polemicis disputandum est; hinc interim heterodoxus Orientalis, obsequium erga Romanam Sedem, ab Athanasio Magno discere incipiat.

(2) *Iulius P. Ep. ad Arian. apud Athanas. Apolog. 2.*

(2) *Athanas. Apolog. 2.*

289. Athanasio, successit Petrus: hic etiam Alexandriæ Patriarcha Sede sua pulsus, cùm Lucius ille Aria-

norum ſceleratiſſimus, per cædes, & ſanguinem irruiſſet ad Epiſcopatus Alexandrini rapinam, ſeſe recepit in Sinum Romanæ Sedis: *Cui* (verbis utor Theologi (1) Nazianzeni) *immanitatis hujuſce ſigna fugitiuus Antiſtes publice ſpectanda propoſuit; qua ratione? pro cadaveribus, cruentas veſtes Eccleſiæ Romanæ protulit, ac per tacitam accuſationem omnibus lacrymas movit: ut calamitatis magnitudinem in oculis & aſpectu defigeret; atque auxilium nanciſceretur, quemadmodum etiam nactum eſſe ſcimus.*

(1) *Nazianz. or.* 23. *in laud. Heron. pag. mihi* 418 *ſub finem.*

ἢ τὰ σύμβολα τῆς ἀπονοίας ὁ φυγὰς ἱερεὺς ἐθριάμβευσε. τίνα τρόπον; παραθήκε τῇ ἐκκλησίᾳ Ρωμαίων, ἀντὶ τῶν νεκρῶν, τὴν ᾑμαγμένην ἐσθῆτα, καὶ κινεῖ πάνδημα δάκρυα διὰ τῆς σιωπώσης κατηγορίας, ἵνα καὶ παραστήσῃ τὸ πάθος, καὶ τῶν δεινῶν ἐπίκουρον λάβῃ. ὥσπερ οὖν καὶ εἰληφότα ἔγνωμεν.

290. Damaſus verò tunc temporis Romæ Pontifex, Petrum Alexandrinum cum litteris dimiſit in Orientem; quibus litteris, Orientales in Fide Homouſij, & Petrum in ſuo gradu, is Pontifex confirmabat: iiſque item

litte-

litteris recreatus atq; confisus Alexandriæ Populus Lucio ejecto, Petrum ut Romana Sedes edixerat, in Sede iterũ collocavit: quorum omnium certissima est & explorata fides in veteribus monumentis. *Per idem tempus* (tradit (1) Socrates) *simulatque Valens Imperator Antiochiâ decesserat; omnes qui ubique persecutionis tempestate jactabantur, & Alexandriæ potissimum, magnopere recreati fuerunt; propterea quod Petrus, Româ cum litteris Damasi Episcopi Romani eò reversus erat, quæ quidem litteræ, & Homousii fidem confirmabant, & Petri creationẽ: Populus igitur illis confisus expellit Lucium, Petrũ autem in ejus locum introducit.* κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον τοῦ Βασιλέως οὐάλεντος ἐκ τῆς Ἀντιοχείας ἀναχωρήσαντος ἀνεῤῥώννυντο οἱ πανταχοῦ ἐλαυνόμενοι, καὶ μάλιστα οἱ κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Πέτρου τε ἐπανελθόντος ἀπὸ τῆς Ῥώμης, μετὰ γραμμάτων Δαμάσου τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου βεβαιούντων τήν τοῦ ὁμοουσίου πίστιν, καὶ τὴν τοῦ Πέτρου κατάστασιν. ἀναθαῤῥήσας οὖν ὁ λαὸς, τὸν μὲν λούκιον ἐξελαύνουσιν, ἀντεισάγουσι δὲ τὸν Πέτρον. Eadem (2) Sozomenus atq; historici passim memoriæ produnt: ex

(1) *Sacrat. l. 4. cap. 37. editionis Parisiens. anni* 1544.

(2) *Sozzomen l. 6. cap. 39. eiusd. edition.*

quibus intelligere demùm poterit lector orientalis, quàm religiosè Alexandriæ Civitas atque ditio à Romanæ Sedis authoritate, arbitrioque pependerit.

De Obsequio Patriarchatus Antiocheni erga Romanam Sedem.

291. CUm plurima sint, quæ de Antiochenæ Ditionis in Romanam Sedem observantia, obsequioque dici possent: ex multis tamen pauca quædam mihi sumpsi, quæ huc adducerem: tùm quod reliqua ejus generis sunt, quæ nequeunt brevitate comprehendi, multumque habent operis atque negotii, & polemicæ disputationis omninò esse videntur: tùm quòd in iis paucis quæ sunt in manu, tantum inest ponderis ac momenti, ut inde satis præclarum specimen capi possit ejus obsequii, quo tunc Romanos Pontifices prosequebatur Patriarchatus Antiochenus.

292. Itaque (ut ab ipsamet Antiochena urbe ducam exordium) quotquot, ab exilio Magni Eustathii, Episcopi

ſcopi Antiocheni, uſque ad Concilium Conſtantinopolitanum generale ſecundum, hoc eſt ab anno propè 330, ad annum uſque 381, Chriſtiani extiterunt Antiochiæ, diſtracti omnes erant in partes tres. Prima (1) & fortè numeroſior hæreticorum erat: Altera eorum catholicorum, qui cum Euſebianis communicabant, atque ab jiſdem, ſacro fonte Baptiſmatis expiabantur: Tertia denique pars eo catholicorum genere continebatur, qui vocabantur Euſtathiani: quique in in umbrâ quidem Arianiſmi exhorreſcentes, cum neutra parte commercium ullum habebant Eccleſiaſticæ ſocietatis. Omnes verò hujuſcemodi partes chriſtianorum Antiochenſium, in Romanam Sedem, velut in apicem Religionis ac poteſtatis, conjectos oculos habebant: de hæreticis poſtea dicemus: Euſtathianorum tunc obſequium apparuit maximè, cum Lucifer Calaritanus Romani Pontificis in Oriente Legatus, Paulinum Antiochiæ Patriarcham conſtituit, ejuſdem Pontificis munitus authoritate: nam ſic ab eo tempore, Paulino Euſtathiani

(1) *Repete in put 2. num. 95. & ſeq.*

thiani adhæserunt ; ut exindè nulla vi, & ratione distrahi ab illo potuerint. Ipsius verò Paulini animus, in quanto Romanæ Sedis versaretur obsequio, neminem præterit, qui aut Damasi legerit ad illum datas epistolas, aut orientalium historiam rerum eo tempore gestarum degustaverit. Vide quæ diximus secundo Capite numero *96*.

293. Pars altera catholicorum Antiochensium, cùm alium, à Paulino, Episcopum Antiochiæ, Meletium nomine, virum certè sanctissimum, suffragio tamen ordinatum Arianorum, impensiùs coleret; nec ut, eo abdicato, sese ad Paulinum conferret induci posset, Romanum Pontificem Damasum perpetuis precibus (in quo vis fuit obsequi non modica) solicitavit, datis frequentiùs litteris, adornatisque non semel legationibus, ut Meletii ordinationem authoritate sua consolidaret, confirmaretque; atque se sineret sub eo Episcopo quietè vivere. (1) Qua de re Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, & historici passim scripserūt plurimùm. Meletius

(1) *Vide caput. 2. sub finem. num. 95. 96.*

quoq;

quoq; earum partium Episcopus, Romanam Sedem observavit religiosè, nec semel litteras (Basilio teste) dedit ad Damasum, & aliquot etiam ad eundem adornavit legationes, quò afflictis orientalis Ecclesiæ rebus, à Romana Sede nanciisceretur auxilium. Itaque utraque Antiochensium catholicorum pars, & geminus earum partium Episcopus Meletius, atque Paulinus, tametsi genus quoddam inter illas civilis schismatis intercederet, observantiam tamen Romanæ Sedis, inviolabilem, & communem habebant.

294. Universus deinde Patriarchatus Antiochenus, in causa Vitalis Apollinaristæ, tria præclarissima obsequii sui in Romanum Pontificem præstitit documenta. Namque primò hominem illum orientalem, apud Damasum Pontificem, ejus Patriarchatus Episcopi, Ecclesiæque accusarunt, quòd pestem Apollinaris propagaret Antiochiæ. Iterum Vitalem eundem Româ redeuntem (quò se contulerat, ut se defenderet) in communionem illicò receperunt, obsequen-

ſequentes Damaſi litteris, quas homo ille fraudolentus ſimulatione ſanæ mentis, ac dolo malo ab eo Pontifice ſubripuerat. Tertiò demùm, Vitalem ipſum à Damaſo poſtea detectũ atque damnatum, abdicarunt. Igitur Patriarchatus Antiochenus, in rebus religionis graviſſimis, nutum, arbitriumque Romanę Sedis religiosè obſervabat. Factum ejuſmodi de Vitali Apollinaris ſectatore, à Gregorio Theologo, ejuſque Theologi expoſitore Elia Cretenſi, ab Theodoreto & Socrate memoriæ proditur.

295. Sed Antiochenę ditionis obſequium ab ea magis epiſtola percipi potuiſſet, quàm ejuſdem ditionis Epiſcopi eo tempore dederunt ad Damaſum, ut Timotheum quendam Antiochenum, Apollinaris diſcipulum, Apoſtolica poteſtate proſcriberet, ſententiâque notaret: verùm illam epiſtolam, aut injuria temporis, aut, quod potiùs crediderim, noſtrorum hoſtium intercepit invidia: nihilominùs eã jacturam aliquomodo compenſavit (1) Theodoretus, qui Damaſi reſcriptum ad eas litteras poſteritatĩ man-

(1) *Theodor. hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 10. initiò.*

mandavit : nam ex iis quæ rescribit Damasus, eorum conjectura facilè capitur, quę ad Damasum Orientales illi anteà scripsissent. Igitur geminam ejus rescripti particulã hìc considerandam propono lectoris animo ; quæ in rem præsentem facere videtur plurimùm.

296. Prior particula, unde initium sumit responsio Damasi, est hujusccemodi : *Quod debitam sedi Apostolicæ reverentiam exhibet charitas vestra, vobis ipsis plurimùm præstatis, Filij honoratissimi. Etenim, etsi præcipua sint in ea Sancta Ecclesia, in qua Sanctus Apostolus sedens ostendit, quomodo nobis tractanda sint gubernacula quæ suscepimus, honore tamen isto inferiores nos esse confitemur.* ὅτι τῇ ἀποσολικῇ καθέδρᾳ τὴν ὀφειλομένην αἰδῶ ἡ ἀγάπη ὑμῶν ἀπονέμει, ἑαυτοῖς τὸ πλεῖσον παρέχετε υἱοὶ τιμιώτατοι. εἰ γὰρ εἰ καὶ μάλιστα ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ ἐν ᾗ ὁ ἅγιος ἀπόσολος καθεζόμενος ἐδίδαξε πῶς προσήκει ἡμᾶς τοὺς οἴακας ἰθύνειν, οὓς ἀνεδεξάμεθα, ὅμως ὁμολογοῦμεν ἑαυτοὺς ἐλάττονας εἶναι τῆς τιμῆς. Neminem sanè puto fore tàm cœcũ, quin videat, eas orientalium litteras, quibus in hanc sententiam rescribit Damasus

masus obsequii plenas fuisse.

297. Altera hæc est Apostolici rescripti particula: *quid ergò Timothei abdicationem á me denuò requiritis, qui & hic judicio Sedis Apostolicæ, præsente Petro Alexandrinæ Urbis Episcopo, abdicatus est, una cum Magistro suo Apollinare?* Τί τοίνυν πάλιν πάρ' ἐμοῦ ζητεῖτε τὴν καθαίρεσιν Τιμοθέου; ὃς καὶ ἐνταῦθα κρίσει τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας παρόντος καὶ Πέτρου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Αλεξανδρέων πόλεως, καθηρέθη ἅμα τῷ διδασκάλῳ αὐτοῦ ἀπολιναρίῳ. Ex quo intelligimus, adversus Timotheum, ab Episcopis ditionis Antiochenæ, Romanæ Sedis authoritatem fuisse quęsitam. Quę autem alia Religio, eos Episcopos, cum ejus generis postulatis, ab Oriente extremo impulit Romam, nisi vis obsequii & potestatis opinio? Atq; hæc satis de obsequio Patriarchatus Antiocheni.

De

De Obsequio aliorum ejus temporis Episcoporum orientalium erga Romanam Sedem.

298. DE obſequio Alexandri, Athanaſii, ac Petri Epiſcoporum Alexandriæ; tùm Meletii, ac Paulini Patriarcharum Antiochenſium; pluriumque prætereà utriuſque ditionis Epiſcoporum, hactenus pro loco ac brevitate diximus; reliquum eſt, ut de quibuſdam aliis pauca ſcribamus.

299. Sub annum 341. S. Paulus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Sāctus Lucius Andrianopolis, S. Aſclepas Gazæ, atque Marcellus Ancyræ, cùm ab Euſebianis dira paterentur, & ſua quiſque Sede foret exturbatus, Roanam omnes, poſt Magnum Athanaſium confugerunt: ut ſolatium catholicæ Societatis, juſtitiæque remedium, ab ea poſcerent Sede, in qua ſcirent, ſummam eſſe Religionis integritatem, cum ſuprema Judiciorum poteſtate conjunctam. Tùm ejuſdem Sedis, ęquo animoſubiere judicium, à Pontifice Julio, ſolemni ritu, & con-

vo-

vocatâ etiam Synodo celebratum ; eoque quiſque fuit abſolutus judicio , ac reſtitutus in Sedem ſuam . Socratis de hac re teſtimonium producere non gravabor : *Eodem* (1) *tempore , Paulus Epiſcopus Conſtantinopolis , Aſclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ Minoris Galatiæ , & Lucius Andrianopolis , alii ob aliam cauſam accuſati, & Eccleſiis ſuis eiecti , Romæ in urbe regnante conveniunt . Julium Romanum Epiſcopum de rebus ſuis certiorem faciunt . Ille verò, quoniam Eccleſia Romana authoritatem habet, eòs in Orientem remiſit, munitos litteris ſuis , liberrimè ſcriptis , ſuum cuique locum reſtituens ; & eos , qui temerè illos abdicarant , graviter reprehendens . Illi Româ decedentes , Epiſcopi Iulii litteris confiſi, ad ſuas ipſorum Eccleſias redeunt : Litteras ad quos ſcriptæ erant , mittunt .* Κάτ αυτὸ δὲ καὶ Παῦλος ὁ τῆς κωνσαντίνου πόλεως καὶ ἀσκληπᾶς γάζης. καὶ μάρκελλος αγκύρας τῆς μικρᾶς γαλατίας. καὶ λούκιος ἀνδριανουπόλεως, ἄλλος δὶ ἄλλο κατηγοριθέντες, καὶ τῶν ἐκκλησιῶν ἐξελαθέντες, ἐν τῇ βασιλευούσῃ Ρώμῃ εὑρίσκονται. γνωρίζουσιν οὖν τῷ ἐπισκόπῳ Ρώμης ἰουλίῳ τὰ καθ'

ἑαυτοὺς

(1) *Socrat. l. 2. cap. 11. edition. g. l. Coloniæ Allobrog. Editionis verò g. Pariſienſ. an. 1544. cap. 15 pag. 105.*

ἑαυτοὺς δὲ ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτοὺς, καὶ ἐπὶ τὴν ἀνατολὴν ἐπιστέλλει τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδοὺς, καὶ καθαπτόμενος τῶν προπετῶς καθελόντων αὐτούς. οἱ δὲ ἀναζεύξαντες ἐκ τῆς ῥώμης, καὶ τοῖς τύποις τοῦ ἐπισκόπου ἰουλίου θαῤῥοῦντες τάς τε ἑαυτῶν ἐκκλησίας καταλαμβάνουσι, καὶ τὰς ἐπιστολὰς πρὸς οὓς ἐγράφησαν διαπέμπονται. In eandem Sententiam scribunt (1) Sozomenus, & (2) Nicephorus.

(1) *Sozomen. G. edit. Parisiens. 1544. τομ. γ. κεφ. inisio.*

300. Idem obsequii genus Romano Pontifici exhibuerunt, quædam aliæ orientalium Episcoporum ac Presbyterorum multitudines ex Thracia, Cælesyria, Phenicia, & Palestina: qui Arianæ tempestatis vi acti, in portum sese receperunt Romanæ Sedis. Ibiq; in judicio, à Julio Papa cõstituto, caussam dixerunt; optatamq; sententiam, qua restituerentur, retulerunt. *Non enim solùm* (inquit Pontifex (3) Julius) *ex parte Athanasii, atque Marcelli Episcopi huc venerunt, cum querimoniis de illatis iniuriis, sed & plurimi alii Episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina: Presbyteri item*

(2) *Nicephor. Callist. hist. lib. 9. cap. 8. initio edidit. Parisiens. anni 1630.*

Epist. ad Orien. apud Athanas. apol 2. pag. mihi. 584.

non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde. Ου γὰρ μόνον οἱ περὶ Ἀθανάσιον, καὶ μάρκελλον ἐπίσκοποι ἐληλύθασιν ἐνταῦθα αἰτιώμενοι κατ᾽ αὐτῶν ἀδικίαν γεγονέναι, ἀλλὰ καὶ πλεῖστοι ἄλλοι ἐπίσκοποι ἀπὸ θράκης ἀπὸ κοίλης συρίας, ἀπὸ φοινίκης καὶ παλαιστίνης, καὶ πρεσβύτεροι μὲν οὐκ ὀλίγοι ἄλλοι δὲ τινες ἀπὸ Ἀλεξανδρείας καὶ ἄλλοι ἐξ ἄλλων μερῶν.

Alias quoque multitudines Episcoporum sub Liberio Pontifice, alias sub Damaso, Primæ Sedis reverentia, atque religio deduxit Romam: verùm ut omnia hic proponamus, nec locus postulat, neque brevitas finit.

Obsequium S. Gregorii Theologi.

301. TRia solùm indicabo de Nazianzeno Theologo, quæ ipsius in Romanam Sedem obsequium testatum nobis faciunt.

Primum est, quòd cùm Apollinaristæ falsò vulgassent, se à Pontifice Damaso in occidentali quadam, hoc est Romana Synodo fuisse receptos, statim se acquieturum, Theologus edixit, modò quod de Damaso dictitassent,

ſent, facerent exploratum. En tibi Nazianzeni verba. *Ad quam indignitatem, illud etiam accedit, quod ab occidentali Synodo, ſeſe, ut audio, ſuſceptos eſſe aiunt, à qua priùs condemnati ſunt, ut cuivis eſt exploratum. Ac quidem ſi vel nunc, vel ante ſuſcepti ſunt, qui Apollinaris placita ſectantur, hoc oſtendant, & nos acquieſcemus. Perſpicuum enim erit, eos ut rectæ doctrinæ aſſentientes, ſuſceptos fuiſſe, nec enim aliter (N. B.) ſe res habere poteſt, ſi hoc conſecuti ſunt.* Οὐ μόνον δὲ ἀλλ᾽ ὅτι καὶ ὑπὸ τῆς δυτικῆς συνόδου δεδέχθαι φασὶν ὡς πυνθάνομαι ὑφ᾽ ἧς τὸ πρότερον ἦσαν κατακριθέντες ὡς πᾶσιν ἔυδηλον. εἰ μὲν οὖν ἐδέχθησαν ἢ νῦν ἢ πρότερον οἱ τὰ Ἀπολλιναρίου φρονοῦντες, τοῦτο δειξάτωσαν, καὶ ἡμεῖς στέρξωμεν. δῆλον γὰρ ὅτι τῷ ὀρθῷ λόγῳ συντιθέμενοι. οὐδὲ γὰρ ἐνδέχεται ἄλλως, εἰ τούτου τετυχήκασι.

Alterum (1) eſt quod Vitalem, quē non ita pridem memoravimus, Damaſo probante, probaverit, Damaſo repudiante, repudiaverit: regulam, ductumque Romanæ Sedis, ſummâ religione ſecutus.

(1) *Nazianz. Epiſt. 2. ad Cledon. Elias Cretenſ. in expoſition. eiuſd. Epiſt.*

Tertium denique eſt; quòd cum

Constantinopolitanam administraret Ecclesiam, tanto studio, tantâque animi contentione pro dignitate Romanæ Sedis, in Paulino tuendo, stetit; ut incredibilem quorundã Orientalium in se invidiam concitaverit, ejusq; rei causâ Constantinopolitano se abdicaverit Episcopatu. Vide quæ hac de re uberiùs diximus ad calcem secundi Capitis.

Obsequium S. Basilii Magni erga Romanam Sedem.

302. MAGNUS BASILIUS, annos amplius quadraginta vitam vixit aut privatam, aut solitariã. Anno deinde septuagesimo supra tercentesimum Cęsareæ fuit renuntiatus Episcopus, publicæque admotus utilitati. Tunc verò illius in Romanam Sedem obsequiũ, velut ex umbraculis in Solẽ pulveremq; processit. Novem annos gessit Episcopatum; quo spatio temporis, incredibile memoratu est, quot ejus obsequii documenta & quàm preclara exhibuerit: pleraq; nos in Polemicam disputationem reiicimus:

cimus: quædam hic pauca tangemus cursim. Duo proferemus loca ex Epistola 52: tria ex Epistola 70: quinque demùm ex Epistola 74.

Proponitur duplex Basilii locus ex Epistola 52.

303. EPistola hæc quinquagesima secunda, à Basilio est ad Athanasium missa per Dorotheum quendam Diaconum Antiochiæ: totaque in consultatione versatur, quâ tandem viâ & ratione afflictis orientalis Ecclesiæ rebus consuli possit. In medio loco ejus Epistolæ hæc ipsa Basilii verba leguntur: *Visum porrò nobis est consentaneum, scribere ad Episcopum* Romanum*, ut loca ista visitet, & sententiam pronuntiet: ut quia difficile est mittere inde aliquos communi & Synodica facultate; ipse authoritate sua rem conficiat, eligatque viros, qui viæ ferendis laboribus sint pares; atque ad id etiam idonei, ut mansuetudine, ingeniique facilitate, eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt corrigant; aptè ac dispensatoriè sermonem attemperan-*

 tes;

tes; quique secum acta ferant Ariminensis Concilii, ut ea rescinderent, quæ illic per vim & violentiam gesta sunt. Et hoc nemine sciente, absque strepitu, tacitè, per mare ad eos, qui hic sunt vadant, ne qui pacis inimici adventum ipsorum præsentiscant. Ἐφάνη δὲ ἡμῖν ἀκόλουθον ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνταῦθα, καὶ δοῦναι γνώμην. ἵνα ἐπειδὴ ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος ἀποσταλῆναι τινὰς δύσκολον τῶν ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα, ἐκλεξάμενον ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ὁδοιπορίας πόνους διενεγκεῖν, ἱκανοὺς δὲ πραότητι καὶ ἀπονοίᾳ ἤθους τοὺς ἐνδιαστρόφους τῶν παρ' ἡμῖν νουθετῆσαι. ἐπιτηδείως δὲ καὶ οἰκονομικῶς κεχρημένους τῷ λόγῳ, καὶ πάντα ἔχοντας μεθ' ἑαυτῶν τὰ ἐν Ἀριμίνῳ πεπραγμένα, ἐπὶ λύσει τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων. καὶ τοῦτο μηδενὸς εἰδότος ἀψοφητὶ διὰ θαλάσσης ἐπιστῆναι τοῖς ὧδε, ὑπὲρ τοῦ φθάσαι τὴν αἴσθησιν τῶν ἐχθρῶν τῆς εἰρήνης.

304. Huic proximè adhæret locus alter, qui est ejusmodi: *Quæritur autem, & hoc à nonnullis illic, ut & nobis ipsis videtur necessariò, ut Marcelli hæresim illi cum venerint, tanquam malam & noxiam & à sanâ fide alie-*

alienã exterminẽt. Ζητεῖται δὲ κἀκεῖνο παρά τινων τῶν ἐντεῦθεν, ἀναγκαίως, ὡς καὶ αὐτοῖς ἡμῖν καταφαίνεται, τὸ τὴν Μαρκέλλου αἵρεσιν αὐτοὺς ὡς χαλεπὴν καὶ βλαβεράν, καὶ τῆς ὑγιαινούσης πίστεως ἀλλοτρίως ἔχουσαν, ἐξορίσθαι.

305. His igitur locis Baſilius Magnus, Epiſcopum Romæ, per litteras rogandum cenſuit, uti authoritate ſua uſus, legatos daret, qui Orientales viſitarent Eccleſias: corrigerent, quos deprehendiſſent in fide obliquos: Ariminenſis acta conciliabuli, in conſpectu orientis Solis reſcinderẽt: & Marcelli demùm hæreſim exterminarent. qui verò poſtulata ejuſmodi ad Romanum cenſet Epiſcopum deferenda; hujus animus, quàm præclaram habeat de Romana Sede opinionem, quantoque ſit in eam obſequio, nemo eſt quin intelligat.

Proponuntur tria Baſilii loca ex Epiſtola 70.

306. HÆc Epiſtola Baſilii ad Epiſcopos Galliæ, & Italiæ vulgò inſcribitur; fuit tamen ad Pontificem Damaſum per Dorotheum

quendam presbyterum à Basilio missa: ad quem Pontificem imprimis pertinent, quæ iis litteris continentur. In hanc Epistolam subtiliùs exponendam longiorem operam in Polemicis conferemus; tria solùm loca hic interim indicare contenti sumus.

307. Primus esto idem ille, unde initium sumit Epistola: *Dominus noster Jesus Christus quoniam omnem Ecclesiam Dei suum ipsius corpus nominari sustinuit, & unumquemque nostrum alterius membrum declaravit: dedit quoque nobis, ut erga omnes, juxta membrorum consensum, amicè simus affecti: quapropter etiãsi habitationibus sumus, alter ab altero, quàm longissimè dissiti, ac dirempti, ratione tamen conjunctioni hujus, propinqui sumus invicem. Quoniam igitur pedibus caput dicere non potest: non estis mihi necessarii: planè neque vos, amicitiam nobis renuntiare sustinebitis.* Ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς σῶμα ἑαυτοῦ καταδεξάμενος ὀνομάσαι τὴν πᾶσαν τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίαν καὶ τοὺς καθ' ἕνα ἡμῶν ἀλλήλων ἀποδείξας μέλη, ἔδωκε καὶ ἡμῖν πᾶσι πρὸς πάντας ἔχειν οἰκείως, κατὰ τὴν τῶν μελῶν συμφωνίαν. διόπερ εἰ καὶ πλεῖστον

ἀλλήλων

ἀλλήλων διωρίσμεθα ταῖς οἰκήσεσιν ἀλλὰ τῷ γε λόγῳ τῆς συναφείας, ἐγγὺς ἀλλήλων ἐσμέν. ἐπεὶ οὖν οὐ δύναται ἡ κεφαλὴ, τοῖς ποσὶν εἰπεῖν, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω, πάντως οὐδὲ ὑμεῖς ἀνέξεσθε ἀποποιήσασθαι ἡμᾶς. Hic ſanè Baſilius Magnus, corpus eſſe affirmat univerſalem Eccleſiam, membris conſtans, & Capite: & caput vocat Occidentales, Romanum ſcilicet Epiſcopum, ad quem unum poſſunt ea verba referri: ſe verò cum Orientalibus cæteriſque Fidelibus, in reliquo membrorum ordine collocat: qua in re quantam Baſilij animus de Romana Sede præſeferat opinionem, & quale in eam obſequium, lectoris eſto judicium.

308. In altero ejus Epiſtolæ loco, ita Romanam Eccleſiam, cum Orientalibus confert Baſilius; ut illi partes tribuat *Matris*; his *filiorum*: *Novimus enim* (inquit) *quod noſtri nunquam ſitis obliti, non minùs quàm Mater filiorum uteri ſui*: Οἴδαμεν γὰρ ὅτι οὐκ ἄν ποτε ἐπιλάθησθε ἡμῶν, οὐ μᾶλλόν γε ἢ ἡ μήτηρ τῶν ἐκγόνων τῆς κοιλίας αὐτῆς,

309. Tertiò denique loco ſtatuit Baſilius, Epiſcopis eſſe orientalibus,

pro

pro tempore ac necessitudine, ad occidentales accurrendum: certè ad Romanam Sedem (namque aliam interpretationem is locus recipit nullam) eidemque Sedi, gravissima quęque Religionis negotia ab Episcopis deferenda: *quapropter*, inquit, *complures ex nobis oportebat ad gravitatem vestram accurrere, & unumquemque rerum suarum expositorem fieri &c.* τούτων ἕνεκεν πολλοὺς ἡμᾶς ἐχρῆν συνδραμεῖν πρὸς τὴν ὑμετέραν σεμνότητα. καὶ ἕκαστον τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων ἐξηγητὴν γενέσθαι: Hæc etiam Basilii sententia ab opinione Romani culminis, obsequioque proficiscitur.

Exponuntur quinque Basilii loca ex Epistola 74.

310. HÆc etiam Epistola, ad Occidentales de more inscribitur: verum ad Romanum Episcopum fuisse à Basilio datam, qui eam legerit, statim intelliget: nulla ferè pars ejus Epistolæ vacat obsequio: sed quinque tantùm particulas ponemus in medio:

Prima

311. Prima earum est non ita post initium posita: eâque in parte Basilius Romanũ Episcopum vocat medicum, ad quem cura spectet laborantis Ecclesiæ, vulneratæq; Religionis: *Nam* (inquit) *etiamsi vulnera nostra eodem modo perseverant, non nihil tamen inde relevamur, quòd paratos habeamus medicos, qui velocem, ac mansuram possunt, si detur opportunitas, doloribus nostris afferre medelam*: καὶ γὰρ εἰ καὶ τὰ τραύματα ἡμῶν ὅμοια διαμένει. ἀλλ' οὖν φέρει τινὰ ἡμῖν ῥαστώνην, τὸ ἑτοίμους ἔχειν τοὺς ἰατροὺς, δυναμένους εἰ καιροῦ λάβοιντο, ταχεῖαν ἐπάγειν τῶν ἀλγημάτων τὴν ἴασιν.

312 Secundo loco ejus Epistolæ, affirmat Basilius, orientalis Ecclesiæ spem omnem, in Romana Sede unicè sitam esse: *Non est autem, quò aliunde opem expectemus, nisi per vos Dominus, à quibus syncerè colitur, curationem miserit*: καὶ προσδοκία βοηθείας ἑτέρωθεν οὐδαμόθεν, ἐὰν μὴ ὁ κύριος δι' ὑμῶν τῶν γνησίως δουλευόντων αὐτῷ ἐξαποστείλῃ τὴν ἴασιν.

313. Tertio loco à Romana Sede postulat Basilius, ut Eustathium, Apol-

lina-

linarem, atque Marcellum orientales Episcopos, Ecclesiis orientalibus declararet hæreticos, ediceretq; cavendos: namque ii, quòd non dum essent Romani Episcopi sententiâ notati, pestem quisque suam liberiùs propagabant per Orientem: *Improba quidem & impudens Arianorum hęresis, manifestè ab Ecclesia corpore divulsa, proprio immoratur errori, parumque nos lædit, propterea quòd illius impietas omnibus nota est: qui verò ovinam pellem induti, mansuetudinem, & placiditatem externè quidem simulant, internè verò gregem Christi crudeliter lacerant: & hoc nomine, quod ex nostro gremio progrediuntur, simpliciores facilè lædunt, ii sunt perniciosi illi, & qui non ita facilè caveri possunt, quos per vestram diligentiam omnibus Orientis Ecclesiis publicari ac manifestari petimus; ut vel recta ingredientes sincerè nobis conjuncti sint, vel si perversi esse perrexerint, sibi ipsis solis contineant, ne posthac per incautam communionem morbum suum vicinioribus affricare possint.* Τὸ μὲν οὖν ἰταμὸν καὶ ἀναίσχυντον τῆς αἱρέσεως τῶν Ἀρειανῶν, φανερῶς ἀπορραγὲν

τοῦ

τοῦ σώματος τῆς ἐκκλησίας, μένει ἐπὶ τῆς ἰδίας πλάνης, καὶ ὀλίγα ἡμᾶς λυμαίνεται διὰ τὸ πᾶσι πρόδηλον εἶναι αὐτῶν τὴν ἀσέβειαν. οἱ δὲ τὴν δορὰν τοῦ προβάτου περιβεβλημένοι, καὶ τὴν ἐπιφάνειαν ἥμερον προβαλλόμενοι καὶ πραεῖαν, ἔνδοθεν δὲ σπαράσσοντες ἀφειδῶς τὰ χριστοῦ ποίμνια, καὶ διὰ τὸ ἐξ ἡμῶν ὡρμῆσθαι εὐκόλως ἐμβάλλοντες βλάβην τοῖς ἁπλουστέροις. οὗτοι εἰσὶν οἱ χαλεποὶ καὶ δυσφύλακτοι οὓς ἀξιοῦμεν παρὰ τῆς ὑμετέρας ἀκριβείας, πρὸς πάσας τὰς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐκκλησίας δημοσιευθῆναι. ἵνα ἢ ὀρθοποδήσαντες γνησίως ὦσι σὺν ἡμῖν, ἢ μένοντες ἐπὶ τῆς διαστροφῆς, ἐν ἑαυτοῖς μόνοις τὴν βλάβην ἔχωσι, μὴ δυνάμενοι ἐκ τῆς ἀφυλάκτου κοινωνίας τῆς ἰδίας νόσου μεταδιδόναι τοῖς πλησιάζουσιν. Quis hic non viderit, Romanam à Basilio Sedem, uti magistram coli, vivamq; Religionis regulam, ad cujus normam Terrarum Orbis fides componi debeat.

314. Quarto loco docet Basilius, Occidentales gratiam, hoc est potestatem (quod in Polemicis confirmabimus) à Deo accepisse consulendi Ecclesiarum necessitatibus: *Accedit, quod ad curandos oppressos, adjumento*

vobis

vobis est gratia Dei. Πρὸς τῇ, καὶ τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ χάριν συναιρέσθαι ὑμῖν, εἰς τὴν ὑπὲρ τῶν καταπονουμένων ἐπιμέλειαν.

315. Quinto demùm ejus Epistolæ loco, preces iterat Basilius; hisque Romanam Sedem compellat: *Horum curam a vobis requirimus: eam adhibebitis, si universis orientis Ecclesiis scribere dignabimini, ut eos, qui veritatis doctrinam ad hunc modum adulterarunt, tùm demùm ad communionem admittant, si quando errata correxerint: si verò contentiosè rerum novationi immorari voluerint, ab illis secedant*: Τούτων τὴν ἐπιμέλειαν γενέσθαι παρ' ὑμῶν ἐπιζητοῦμεν. γένοιτο δὲ ἂν εἰ ἐπιστεῖλαι καταξιώσητε πάσαις ταῖς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἐκκλησίαις, τοὺς ταῦτα παραχαράσσοντας, εἰ μὲν διορθοῖντο εἶναι κοινωνικούς. εἰ δὲ ἐπιμένειν φιλονείκως βούλοιντο ταῖς καινοτομίαις, χωρίζεσθαι, ἀπ' αὐτῶν.

316. Ex quibus omnibus liquidò constat, Basilii Magni animum in obsequio summo fuisse erga Romanam Sedem, excellentemque habuisse de potestate illius Sedis opinionem. Non sumus quidem nescii, quorum

rum voluntas hâc tanta luce perstringitur, ab his multa turbari: quò cōspicua in his locis, explorataque Basilii mens, aliqua ratione obscuretur; & nox aliqua offundatur rebus clarissimis. Verùm quàm miseræ, putideque sint illorum hominum cavillationes; videbimus in Polemicis, atque hic etiam facilè indicaremus, si aut narranti disceptare liceret, aut properanti quærere diverticula.

De obsequio Principum, qui orientale Imperium per illud tempus administrarunt, erga Romanam Sedem.

317. TRes dumtaxat hìc proponam ejus temporis Imperatores, in Romanam Sedem obsequentissimos; Constantinum, Gratianum, atque Theodosium.

318. Quamvis plurima sint, quæ de Magno Constantino in hanc rem dici possunt, id tamen unum commemoro argumentum obsequii, quod in causa Ceciliani, is Princeps Romano Epi-

Episcopo exhibuit. Jussit enim, ut Ceciliani causa, ab eo demùm cognosceretur Episcopo, ac finiretur; quem, Judicem Episcoporum supremum Dei lex statuisset. Itaque ad Melchiadem Pontificem ea de re Constantinus dedit epistolam cum sententia hujusce-modi. *visum (1) est mihi, ut idem Cecilianus cum decem Episcopis, qui illum reum fecere videantur, & decem aliis, quos ipse suę litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio traiiciant, ut ibi coram vobis, & Reticio etiam & Materno, & Marino Collegis vestris (quos ea de causa Romam maturare jusserim) possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, ut nostis, postulat*: ἔδοξέ μοι ἵν αὐτὸς ὁ κεκιλιανὸς μετὰ δέκα ἐπισκόπων τῶν αὐτὸν εὐθύνειν δοκούντων, καὶ δέκα ἑτέρων, οὓς αὐτὸς τῇ ἑαυτοῦ δίκῃ ἀναγκαίους ὑπολάβοι εἰς τὴν Ρώμην πλῷ ἀπιέναι, ἵν ἐκεῖσε ὑμῶν παρόντων ἀλλαμὴν καὶ ῥετεκίου καὶ ματέρνου καὶ μαρίνου τῶν κολλήγων ὑμῶν, οὓς τούτου ἕνεκεν εἰς τὴν Ρώμην προσέταξα ἐπισπεῦσαι, δυνηθῇ ἀκουσθῆναι, ὡς ἂν καταμάθοιτε τῷ σεβασμιωτάτῳ νόμῳ ἁρμόττειν.

(1) *Epist. Constantini ad Melchiadem P. apud Euseb. hist. lib. 10. c. 5.*

319. De Gratiano Principe apprimè

mè religioso, quo tempore utrumque Imperium moderaretur, (1) Theodoretus scribit ejusmodi: *Conscripsit legem, qua jubebat, tùm pastores ejectos in exilium, redire, suisque gregibus restitui; tùm sanctas Ecclesias tradi iis, qui Damasi communionem amplexarentur*: Νόμον γὰρ ἔγραψε καὶ τοὺς ἐληλαμένους ποιμένας ἐπανελθεῖν κελεύων καὶ τοῖς σφετέροις ἀποδοθῆναι ποιμνίοις, καὶ τοὺς θείους οἴκους παραδοθῆναι τοῖς τῆς Δαμάσου κοινωνίαν προαιρουμένοις. Qua lege Imperator planè significavit, eos orientales Episcopos revocandos esse ab exilio, Ecclesiisque, veluti rectè sentientes, restituendos; quorum à Romano Pontifice Damaso probata fides foret.

(1) *Theodoret. hist. lib. 5. c. 2.*

320. Aliam quoq; Gratianus edixit legem, quæ est hujusmodi: *Volumus (2) autem, ut quicumque judicio Damasi, quod ille cum consilio quinque, vel septem habuerit Episcoporum; vel eorum, qui catholici sunt, judicio & consilio condẽnatus fuerit; si justè voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale judicium per contumaciam non ivisset, ut ab illustribus viris Præfectis Prætorio Galatiæ atque* Ita-

(2) *Vide Card. Baron. tom. 4. Annal. ad ann. 381. §. 1. & seq.*

Italiæ authoritate adhibita, ad Episcopale judicium remittatur, sive à Proconsulibus, vel Vicariis ut ad Urbem Romam sub prosecutione perveniat: aut si in longioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis eius causæ editio, ad Metropolitani in eadem Provincia Episcopi deduceretur examen: vel si ipse Metropolitanus est, Romam necessariò (N. B.) vel ad eos, quos Romanus Episcopus Judices dederit, sine dilatione contendat.

(1) *L. de fide Cath. C. Theodosiano.*

321. Theodosius denique senior, cùm Thessalonicæ moram traheret, hæc edixit: (1) *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamētum, in tali volumus Religione versari, quam divinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio usque nunc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret &c.* Quæ demùm omnia illud planè declarant, ab his, quos diximus, orientalis Imperii moderatoribus, ut Ecclesiarum omnium Matrem, atque Magistram Senium Matrem, atque Magistram Sedem Romanam fuisse cultam: nam tametsi eorum Principum religiosissimæ Sanctiones nihil Romanorum Pontificum

cum authoritati, quæ à Christo tota manavit, addiderint; plurimum tamen valuere ad declarandam præclaram piorum Regum, de Sede Romanâ opinionem cum obsequio summo conjunctam: simul ad corrigendos transversos mores judiciorum, audaciâ hæreticorum invectos; eaque exempla iniquissima obliteranda, quæ in dijudicandis Religionis causis, Constantius, & Valens in Ecclesiam intulerant.

Obsequium ipsorummet Hæreticorum erga Romanam Sedem.

322. EUsebius imprimis Nicomediæ, Arianæ factionis altor & propagator, non obscura obsequii & observantię Romano Episcopo signa dedit: nam ad annum propè 339 Athanasiũ per litteras accusavit apud Julium Pontificem, misitque Romam procuratores, qui ad tribunal Romanæ Sedis, causam pro ipso dicerent.

323. Idem obsequii genus, eodemque ferè tempore præstiterunt Euse-

biani, quorum Procuratores diù Romæ fuerunt in judicio versati.

324. Anno 340 plurimi Arianæ factionis Episcopi ad eundem Julium, adversus Athanasium dederunt litteras; atque etiam procuratores miserunt Romam, qui rogarent Julium Pontificem, uti ubicumque placuisset Concilium ea de re fieri juberet, vel solus, si maluisset, causâ cognita sententiam ferret: qui Arianorum procuratores, ad tribunal Romani Episcopi non semel causam dixerunt: semperq; judicio, ab Athanasio convicti, atq; in desperationem, pudoremque conjecti, fugam nocte arripu erunt. Quæ omnia in secunda Athanasii Apologia, conceptissimis verbis, atque in historia veteri passim traduntur.

325. Anno deinde 341. Iidem Arianarum partium Episcopi, in suo famoso Antiocheno Conciliabulo, ab officio quidem Romanæ Sedis satis apertè discesserunt (nam quid tandem ab eius generis hominibus sperandum erat) dederuntque ad Julium insolentissimas litteras; verùm in his iisdem litteris scintilla quædam

dam sublucet obsequii: quod apertissimè novimus ex (1) Sozzomeno, qui de Arianis illis Antiocheni Concilabuli tradit ejusmodi: *Nam litteris suis fatebantur quidem Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre; utpotè quę Apostolorum schola, & Religionis Metropolis ab initio fuisset constitata (quãvis eò, ab Oriente, christiani dogmatis venissent authores) non ideò tamen se ferre posteriores quòd Ecclesię magnitudine superarentur &c.* Φέρειν μὲν γὰρ πᾶσι φιλοτιμίαν τὴν ῥωμαίων ἐκκλησίαν ἐν τοῖς γράμμασιν ὡμολόγουν ὡς ἀποστόλων φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην, εἰ καὶ ἐκ τῆς ἕω ἐνεδήμησαν αὐτοὶ οἱ τοῦ δόγματος εἰσηγηταί. οὐ παρὰ τοῦτο δὲ τὰ δευτερεῖα φέρειν ἠξίουν. Eademque in hanc rem scribit (2) Nicephorus; ex quibus palàm est, eam Arianorum Epistolam ab iis animis fuisse profectam, qui obedientiam quidem Romanę Sedis abjecerant; nec dum tamen potuerant præconceptam de illius Primatu opionem excutere.

326. Sub annum exinde 342. Gregorius (3) ille Cappadox, cruentus, & scelestissimus Arianus; cum in Alexan-

(1) *Sozomen. lib. 3. histor. cap. 7. circa med.*

(2) *Niceph. Calist. hist. l. 9 cap. 8. quod integrum legi debet.*

(3) *Ex epist. Iul. apud Athanas. apol. 2.*

xandrinam Athanasii Sedem (quod sæpè diximus) ab Antiocheno fuisset conciliabulo intrusus, Carponam presbyterum Arianum, Romam Legatum destinavit, qui Julium Pontificem oraret, ut ratam vellet ipsius Ordinationem habere; eumdemque in Sede Alexandrina confirmare Apostolicæ Sedis authoritate: Stulta sanè petitio; sed quæ tamen ab opione manaret, quæ de Romana potestate haberetur; quæque proinde genus quoddam obsequii in Romanum Episcopum præseferret.

327. Defuncto deinde Julio, statim ejus temporis Ariani, Athanasium apud Liberium insimularunt: Eustathius (1) postea Sebastenus Episcopus in Armenia, Arianus perfidus ac versipellis, in duobus conciliis, Constantinopoli, ac Melitinæ depositus, Romam ad eundem Liberium confugit, ut ab eo Pontifice restitueretur.

(1) *Basil. ep. 94. repete huius Capitis num. 282.*

328. Denique, ut cætera omittam, Vitalis Apollinarista, apud Pontificem Damasum ab Orientalibus accusatus, Romam se contulit illicò: fidei suæ rationem eidem Pontifici reddituditu-

diturus; quod à Nazianzeno non ita pridem didicimus.

329. Atque hæc demum ſatis, pro loco, de Orientalium, ejus temporis obſequio erga Romanam Sedem: reliquum eſt, ut de Romanæ Sedis erga Orientales ſolicitudine pauca, & curſim dicamus.

De Romanæ Sedis erga Orientales ſolicitudine.

330. EO ſpatio temporis, quod inter primum Niceæ Concilium, & Conſtantinopolitanum generale ſecundum interceſsit, quinque Romani Epiſcopi (quod diximus in primo hujus operis aditu) ordine ſucceſſerunt: Silveſter, Marcus, Julius, Liberius, Damaſus. Quantâ verò orientalium populorum curâ & ſollicitudine hi Pontifices premerentur; quot labores ſuſceperint; quantum contulerint operæ, ut pacatam, atque tranquillam facerent orientalem Eccleſiam, incredibilibus eo tempore concitatam fluctibus, paucis indicabo.

De Sancti Silvestri Pontificis erga Orientales solicitudine.

Vide num. 3. & 286.

332. SAnctus Silvester Romanus Pontifex, statim atque de Ariana tempestate, Alexandriæ primùm exortâ, indeque Orienti universo ruinam minitante, Alexandri litteris Episcopi Alexondrini certior est factus, Osium primò constituit Romanæ Sedis in Oriente Legatum; qui orientalium Ecclesiarum rebus concitatissimis, pro tempore ac periculo, ejusdem Sedis authoritate consuleret. Tùm Constantino Magno author fuit, ut Osio, ad ea mandata expeditiùs exequenda, potentiæ suæ favoribus præstò esset; suamque Imperialem conferret operam, ad Orientis pacem maturiùs componendam. Exinde per eundem Legatum Osium, Concilium Alexandrinum convocavit, atque in eo Concilio, latam jam ab Alexandro in Arium, & Arianos sententiam per eumdem Osium confirmavit. Præterea (quod caput est) primum generale Concilium Niceæ indixit: cui ge-

minos

minos, præter Osium, Legatos dedit Vincentium, atque Vitonem: ejus demùm Concilii acta, Synodo (uti plurimorum scriptis memoriæ proditum est) Romæ ad id convocatâ, confirmavit.

Sancto Silvestro successit Sanctus Marcus, de quo equidem statuere nil certi possumus, cùm octo solùm menses gesserit Pontificatum; nam quæ illius ad Athanasium, & hujus ad illum circumferuntur Epistolæ, pro adulterinis suppositisq; jure habentur.

De S. Julii Pontificis erga Orientales solicitudine.

331. SAnctus Julius vix Ecclesiæ clavo admotus, defuncto Marco, primam curam, ad Orientalis Ecclesiæ pacem componendam, præcipuamque operam adjecit. Sub annum 339. juris judicia in Athanasii causa constituit Romæ. Athanasium ipsum, simul & Arianos datis litteris, citavit; ob eandem causam Conciliū Romæ indixit. Archidamum & Philoxenem, in Orientem Legatos misit, qui

Vide sup. nu. 288. & cap. 1. a num 15.

qui Eusebianos huc illuc tergiversantes quò minus Romano se sisterent judicio, Romam compellerent. Tùm sententiam pro Athanasio pronuntiavit: simul pro aliis plurimis Orientalibus bonarum partium Episcopis: S. Paulum Constantinopolitanum Episcopum, S. Lucium Andrianopolis, S. Asclepam Gazæ; Marcellum item Ancyræ, aliosque plurimos oriẽtales Episcopos ab Arianis exterminatos, restituit sedibus suis. Rescidit acta Tyrii, & Antiochẽsis conciliabuli, egregiam scripsit Epistolam ad rebelles Eusebianos: indixit Concilium Sardicense: Constanti Occidentis Imperatori author fuit, ut à Constantio fratre quâ precibus, quâ minis, securũ Athanasio in Ecclesiam suam reditum impetraret: omnia movit, ut Athanasium Alexandriæ redderet, Orienti trãquillitatem: solitus dicere: *Pro fratrũ oppressione tractantes laboremus: quia dum illi graviter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Denique pro pace Orientis, pro salute Orientalium diu, noctuque laborantem; earumque rerum solicitudine æstuantem mors occupavit.

Tom. I. Concilior.

De

De Liberii Pontificis erga Orientales solicitudine.

333. Liberius Pontifex Julium excepit, circa salutis annum 352. Id verò præ cæteris, ejus præstitit solicitudo Pontificis, quòd pro salute Orientalium, aliis quidem laborandum, huic pugnandum quoque acriter fuit: alii curis fuerunt, atque laboribus presſi; hic præterea mala plurima, ærumnaſque graviſsimas devoravit: & primam quidem præcipuamque laudem Liberius tuliſſet in tuendis Orientalibus, niſi (ut ſunt res hominum fluxæ, imbecilles, atque ſubiectæ caſibus) partam ea in re gloriam, miſerâ illâ, omnibuſque notâ imbecillitate animi, violaſſet. Itaq; Liberius (1) ubi octoginta Epiſcoporũ orientalium litteris, de Arianorum dolis, ſceleribuſque certior eſt factus, Athanaſii tutelam, toto animi impetu ſuſcepit. Eccleſiæ orientalis neceſſitudinibus, omni ſtudio, (2) diligentiâq; preſto fuit. Plurimas ad diverſos, pro orientalis Eccleſię componendis rebus dedit

repete dict. c. 1, a num. 40.

(1) *Lucif. Calar. Epiſt. Hilar. in frag.*

(2) *Hilar. frag. & adverſ. Arian.*

dedit epiſtolas: geminam (1) eâdem causâ legationem ad Conſtantium Imperatorem adornavit. Pro Athanaſio & fide Nicæna ad eundem Imperatorem plenam animi ſcripſit (2) epiſtolam. Ab eodem Principe per Euſebium eunuchum, minis, atque muneribus pertentatus, ut in Athanaſium ferret ſententiam, reſpuit (3) munera; minas contempſit. Exinde ob Athanaſii Magni tutelam, Româ fuit, Conſtantii juſſu, nocte intempeſta, Mediolanum abductus: iterum ibi tentatus, Imperatori coràm reſtitit, dignâ Pontifice fortitudine: tùm ejus causâ, Beroeam indignũ in modum actus eſt exul, quo in exilio ſanè ærumnoſo, tres ferè annos in mœrore ſummo conſumpſit. Poſt hæc quidem tanta, victus animo cecidit: verùm exinde Romæ reſtitutus ac ſibi, in poſſeſsionem rediit antiquæ virtutis, ac priſtinæ fortitudinis: reſpuit malè acta Conciliabuli Ariminenſis: quodque reliquum vitæ ſuperfuit, inter curas duxit, atque labores, pro pace Orientis procuranda (4) ſuſceptos.

(1. *Athanaſ. ad Solitar. pag.* 836.

(2) *Extat. inter Oper. LuciferiCalaritan., & in frag. Hilarii.*

(3) *Vide cap* 1. *num.* 40.

(4) *Athanaſ. Hilar. Sozomen., atque Scriptores paſſim.*

De

De Sancti Damasi Pontificis, ergà Orientales solicitudine.

334. SAnctus Damasus post Liberium Apostolicam obtinuit Sedem, vertente anno à reparata salute 367. quo tempore Oriens, Valentis Imperio atque furore, miserè agitabatur. Hic etiam Pontifex Maximus, in summa pro Orientalibus solicitudine fuit. Nam ut orientalis Ecclesiæ rebus consuleret afflictissimis, plures ad Athanasium Magnum, ad Magnum Basilium, ad Meletium & *Paulinum* Antiochenos, ad Eusebium Samosatenum, ad Ecclesiam Alexandrinam, ad Antiochenos, atq; ad Orientales universim dedit epistolas: plures in Orintem adornavit Legationes. Tria, Orientalium gratiâ, Romæ habuit Concilia; in quorum uno, (1) adversus Ursacium atq; Valentem, Nicænæ fidei, atque Athanasii hostes proditoresq;, sententiam pronuntiavit: eâque de re Alexandrinam præsertim Ecclesiam fecit per litteras certiorem. In altero Romano Con-

Vide tom. 1. Concilior. Baron. t. 4. annal. ad an. 369. 370. 371. &c.

(1) *Vide supra n. 283.*

Concilio, ab eadem Alexandrina Ecclesia rogatus, Anathemate percussit Auxentium. In tertio Romæ Concilio, (1) Basilio Magno petente, aliisq; adnitentibus orientis Solis Ecclesiis, Apollinarem, Vitalem, atque Timotheum, ejecit ab societate fideliũ: fideique regulam temporibus aptam, edidit,(2) adversus hæreses per Oriẽtem debbacchantes. Petrum Alexandriæ Patriarchã,(3) qui à Lucio, Arianorum tunc scelestissimo, Sede sua pulsus, Romam confugerat, authoritate summa reduxit: Homousii labefactatam fidem, in Oriente planè restituit. Gregorium Nazianzenum ad Episcopatum novæ Romæ promovit, expulso (4) Maximo. Atque alia, ejus generis argumenta edidit plurima; quibus eam quâ de Orientalibus æstuabat solicitudinem palàm fecit.

335. Ea igitur tunc erat Orientalibus cum Sede Romana, solicitudinis obsequiique communicatio: ea utrobique sancta veluti officiorum religio intercedebat: quæ utinam ad nos usque, manibus perpetuæ pacis deducta manasset. Verùm, eheu! secùs nunc se

(1) *Basilius Epist.* 74. *Vide supra n.* 313.

(2) *Theodoret. cit. num.*

(3) *Vide supra n.* 289., *&* 290.

(4) *Nicol P. epist. ad Michael. tom.* 2. *Concilior. Vide Baron. ann.* 380.

se res habent: nam ex quo Orientem ab Occidente, perfidia hominum, & schisma distraxit, tametsi eadem pro Orientalibus solicitudo in Romana Sede, cum perpetua fide & charitate permanserit: non sic tamen in Orientalium animis, erga Romanam Sedem stetit obsequium.





CAPUT DECIMUM.

De ſtatu litterario, atque Scholis orientalibus.

336. ON is quidem, per illa tempora, erat orientis aſpectus, qualis nunc, litterarum inopiâ, eſſe videtur horridus & incultus; ſed omni potiùs diſciplinarum genere, adeò perpolitus & elegans, ut litterarum gloriâ, & ſtudiorum celebritate tunc potiùs anteirent Orientales. Igitur tempeſtate illa, artes, diſciplinæ, ſtudia, ſacræ prophanæque litteræ, in Oriente valebant plurimum: Scriptores item, virique doctrinâ illuſtres innumeri penè floruerunt: Ludi præterea ſcientia-

tiarum nobiles atque frequentes, scholæq; famâ celebratiſſimæ ibidem erant: quorum omnium ſpecimen quoddam brevibus, curſimque hic exhibebo.

Quænam, tunc in Oriente, Profanarum litterarum ſtudia vigerent?

337. Humanæ profanæque tunc litteræ, Philoſophiæ præſertim ſtudiis, & Eloquentiæ, tùm etiam Aſtrologiæ, Geometriæ, ac Medicinæ continebantur: quarum artium ſcholæ paſſim, ludique patebant: quique illas docerent publicè, Magiſtri plurimi extabant atque clariſſimi: eorum verò qui diſcerent ingens erat, ac penè infinitus numerus, ex omni ferè Mundi regione collectus; atque in varias Orientis urbes, variaque gymnaſia diſtributus. Sed Cæſaream in Palæſtina, Alexandriam in Ægypto, Conſtantinopolim in Thracia, atque Athenas in Græcia, ſtudioſorum vis major confluebat: hæ namque Orientis Urbes, ſtudiorum famâ, ſcholarumque nobilitate præ omnibus celebrabantur. Græcorum linguâ, tunc

Gg tem-

temporis loquebantur ea Orientis
gymnasia; isque ibidem erat littera-
rum, ac litteratorum sermo commu-
nior; unde nobis orientalium Patrum
tot græca scripta, & monumenta ma-
narunt. Discendi verò hæc plerùmque
via erat, & ratio. Adolescentes qui
valerent ingenio; & ad scientiarum
possessionem, aut amore sapientiæ,
aut spe utilitatis, aut ardore gloriæ du-
cerentur, postquam grammaticis præ-
ceptionibus domi satis forent instituti,
Cæsaream Palæstinæ, relicta patria,
solebant primò contendere. Ibi Elo-
quentiæ studiis primam navabant ope-
ram; nam nulla tunc ferè disciplina in
pretio erat, quæ non foret cum di-
cendi arte conjuncta: exinde studebant
Philosophiæ: posteà, pro suo quisque
ingenio, vel ad Astronomiam, vel ad
Geometriam, aliasque mathematicas
disciplinas, vel ad Medicinam sic
animum applicabant, ut nunquam
tamen Rhetoricæ artis exercitationes,
studiaque intermitterent.

338. Postquàm primâ scientiarum
tincturâ, Cesareæ fuissent imbuti, ad
Scholas Alexandrinas (quod fecit Na-
zian-

zianzenus) vel Constantinopolitanas (ut accepimus de Basilio) gradum facere consueverant: postremo sese conferebant Athenas; quæ Civitas arx erat, ac veluti regia disciplinarum: in quam Athenarum arenam, nisi benè cultus, diùque anteà exercitatus, audebat nemo procedere.

339. Quod ad ejus temporis Philosophiam pertinet, Hellenismi sectæ ferè omnes vigebant: nam & Stoici, & Epicurei, & Pythagoreorum etiam quædam erant reliquiæ: verùm Plato præ cæteris colebatur; tùm etiam Peripateticorum clarissimus *Aristoteles. Idolorum cultores, e Philosophiæ studiis, ad Magiæ superstitionem ruebant passim: quæ pestis, latè tunc regnabat per Orientem, ac præsertim in Syria: ubi rarus erat Philosophus, qui non publicè vanitatem illam profiteretur: cui superstitioni multùm sanè addidit Apostata Julianus, qui & adolescens, præstigiis ejusmodi delectabatur, & postquàm Imperium obtinuit, se in Magiæ consuetudinem totum immersit: neque enim Apostatæ ingenio poterat non sedere ars illa, quæ scelerum es-

 set-

ſet magiſtra, officina crudelitatis: itaque multa fuerunt Antiochiæ,& Charris dilaceratorum hominum reperta cadavera,quos in quibuſdam ſpeſuncis, ad magicos uſus jugulaverat Julianus.

340. Sed Chriſtifideles, non iis delectabantur artibus, quæ cum ſcelere forent, ac ſuperſtitione conjunctæ: neque eo genere utebantur Philoſophiæ, quæ hominum animos deterret,& avocat a religione:Magiam proinde ejuſq; generis deliramenta & vanitates metu exhorreſcebant: exterminatiſque Pythagoræ fabis,[1] atque Atomis Epicurì, Platonis Philoſophiam, & Ariſtotelis ſequebantur: quòd horum Philoſophorum doctrina, nonnihil chriſtiano dogmati conſentire, viamque ſternere videretur, ad veritatem Religionis: erantque Cæſareæ in Palæſtina, & Alexandriæ in Ægypto * utriuſque Scholæ chriſtiani præceptores, ab Epiſcopis conſtituti: qui cùm non doctrinâ ſolùm & ſapientiâ, ſed pertractandorum animorum ſcientiâ quoque valerent, plurimos idolorum cultores, quos auditores haberent, chriſtianæ fidei lucrabantur; eorum adoleſcen-

(*) *Vide inferius §. de Schola Alex.*

lescentium mentes, per Platonica, & Aristotelica dogmata, in christianæ Philosophiæ cogitationem, paulatim introducentes.

341. Itaque tunc orientales Christi fideles non abhorrebant a præceptis institutisque grecæ profanæque Philosophiæ; immò verò qui divinarum litterarum prudentiâ magis excellerent, iidem in philosophica facultate præclarissimi esse videbantur: Athanasius Magnus, Gregorius Theologus, Magnus Basilius, Basilii Frater Nyssenus, Meletius, Didymus, Serapion, aliaq;prima capita Orientalium Theologorum, summi erant Philosophi; Græcorumque divitias omnes (ut de Origene scripsit Porphyrius) ad christianum dogma locupletandum convertebant: vel, ut dicamus veriùs, Christiani dogmatis luce, detegebant paupertatem externæ Philosophiæ; ostendebantque, quàm illa humi reperet; quàmque altius assurgeret fides nostra: simul quanta huic esset cum recta ratione conjunctio; quàmque parum, sine fide, valeret humana ratio.

342. Tametsi dissimulandum non

est, Christianorum nonnullos, nimio studio abreptos, usuque parùm temperato Philosophiæ, in scopulos incidisse: Arii pestem Platonica Deorum Trinitas peperit; Aristotelicæ dialecticæ abusus propagavit: Studio immodico subtilitatis sophisticæ, in hæreses nefandas Aëtius præcipitavit: nonnulli etiam ex Patribus (quod alibi (1) dixisse memini) plùs æquo Platonici, duriùs aliquanto de Divina Trinitate scripserunt. Quamobrem (2) Philo, & ex Philone Clemens Alexādrinus, humanam (3) Philosophiam Agar, Theologiam verò Sarae compararunt: ea re docentes, illam nimirùm ancillam, hanc dominam esse oportere. Gregorius (4) item Nyssenus, ut significaret, quânam ratione homini Christiano usui esse debeat externa Philosophia, illam elegantissimè comparavit fœminæ alienigenæ, quam tunc demùm Judæus legitimè sibi adjungit uxorem, si ungues illa & capillos deponat, & ejus deinde partus circumcidatur. Atq; hæc demùm satis de profanis eorum temporum studiis ac disciplinis.

(1) *Capit. 2.*

(2) *Philo de congress. quærend. erudit. gratia. apud Baronium*

(3) *Clemens Alex. Strom. lib. 1.*

(4) *Gregor. Nyssen. in Vit. Moys.*

Cujus-

Cujusmodi esse solerent, eo tempore, sacrarum studia litterarum?

343. TRia præsertim, per illa tempora esse solebant sacrorum genera studiorum. Primò enim christianę Religionis Mysteria (*) & Sacramenta, & Præcepta, ad fidelium institutionem (servatâ tamen cum infidelibus, & Cathecumenis non competentibus, Arcani disciplinâ) publicè exponebantur: erantque in urbibus Orientis nobilioribus, earum rerum explanatores, atque Magistri, viri plerumque summi atque clarissimi: quod genus studiorum κατηχήσις *Catechesis* vocari consueverat, sive Schola Ecclesiastica, cujusmodi eam fuisse scimus, quæ à Divo Evagelista Marco Alexandriæ fuit instituta, & à Pantæno, Clemente, Origene, Heracla, Dionysio, aliisque viris celebratissimis, qui in ea docuerunt, nobilitata; ut infra dicemus pluribus.

(*) *Vide Schelstraste de Discip. arc. impr. Romæ Typis Congr. de Prop. Fide* 1685.

344. Sacrorum Studiorum genus alterum, in Verbi Dei scripti exposi-

tionibus verſabatur. Nam ſacræ litteræ, librique tùm veteris tùm novi Teſtamenti, in Scholis Publicis, ab egregiis doctiſque præceptoribus explanabantur. Quæ ſanè ſtudia, eâ tempeſtate florebant plurimùm; maximoque apud chriſtianos Doctores in honore, ac pretio erant; iiſque ſanctiſſimi quique, doctiſſimique Patres ſedulam navabant operam: raruſque erat, eo tempore, in Oriente doctor, qui non iis de rebus accuratiſſimè ſcriberet. Hinc tot maximorum Doctorum, in divinam utriuſque Teſtamenti ſcripturam, commentaria manarunt: quæ ſanè commentaria, ſine aliorum calculo teſtimoniorum, ſatis confirmant, quantum id genus litteræ, ea tempeſtate in Oriente valuiſſent.

345. Tertium denique ſacrorum genus ſtudiorum, ſubtilioribus quibuſdam conſtabat quæſtionibus de Deo, Deique operibus, cæteriſque divinis rebus, quæ quandam propinquitatem haberent cum ea parte ciPhiloſophiæ, quæ ſapientia di ſolet. Quarum rerum ſcientia *Theologia* vel *Sacra Philoſophia* vocari conſuc-

fueverat; eademque ferè cum illa, quæ nunc in ſcholis tradi ſolet, fuiſſe videtur, idque ſolùm diſcriminis intercedebat inter hujus, & illius temporis ſcholaſticam Theologiam, quòd hæc, poſt tempora præſertim Petri Lombardi, ſententiarum Magiſtri, viâ, & ratione diſcitur, ac docetur, certo quodam tractationum ambitu comprehenſa; illa verò nullis ligata methodi legibus liberior erat atque ſolutior: Præterea, dialecticâ viâ breviorique ſyllogiſmorum complexione, noſtrorum temporum Theologia tradi ſolet: in illa verò tradenda, adhibebatur eloquentia. Ita Theologi Mazianzeni Theologia univerſa totidem orationibus continetur: eodemque rhetorico more uſi ſunt Athanaſius Magnus, & Baſilius, aliique illorum temporum Patres orientales, cùm de quæſtionibus differerent, maximè Theologicis atque divinis.

346. Cœterum, tametſi vetus illa Orientalium Theologia, in docendi, diſcendique modo, diſſideret a noſtra; in rebus tamen ipſis, quod nuper dicebam, aut omninò, aut plurimùm

inter

inter utramque conveniebat. Siquidem Nazianzenus (1) ipse nobis author est, sacram nunc Philosophiam solitam fuisse disserere de quæstiõibus hujuscemodi: nempè de Mundis, vel de Mundo: de Materia: de Mente: de Intelligentibus naturis: de Providentia: de prima hominum constitutione, ac postrema refictione (de homine scilicet innocente, lapso, ac reparato) de Typis: de veritate, ac Testamentis: de Christi adventu tàm primò, quàm secundo: de Incarnatione, ac Passione: de Resurrectione: de Fine: de Judicio, ac retributione: & quod caput est de Principe ac beata Trinitate: quæ sanè omnia, iis nunc tractatibus comprehenduntur, qui nostram efficiunt methodicã sive scholasticam Theologiam: cumq; ea (ut initia sunt rerum omnium ac disciplinarum) non tam multis, per illud tempus, disputarentur, multiplicatis nunc quæstionibus, subtiliùs enucleantur.

(1) *Nazian. in Apologet. sive orat. 1.*

450. Sed qui perarduam illã Theologiæ partem, quæ de divina est Trinitate, tractandam sumerent, hi præcipuo jure Theologi vocabantur, quibus

bus tunc tres præsertim scopuli, iidemque valde periculosi objieciebantur: quos scopulos, Theologiæ morbos Nazianzenus (1) solet vocare: erant verò illi Atheïa, Judaismus, ac Polytheïa. Atheïam quidem (quod tradit idem Doctor) Afer Sabellius, Judaismum Arius, Polytheïam alii quidam, inter christianos invexerunt. Etenim Sabellius, dum divinas Personas vacua tantùm vocabula esse deliraret, nec *Unum* in divina Trinitate, nec *Tria* servabat; omnemque proinde subvertens Divinitatem, ruebat in Atheismum. Arius verò cùm in creatarum rerum ordinem Filium redigeret, atque etiam Spiritum (2) Sanctum, in judaicam incidebat paupertatem, solo Ingenito concludens Divinitatem. Alii denique illi, quos Nazianzenus nimium orthodoxos vocavit, cùm Filium & Spiritum Sanctum ita Patri æquales prædicarent, ut omnis etiam principii expertes esse dicerent; unumque Principium in tria Principia inter se veluti diffidentia secarent, tres certè Deos adstruebant, sicq; revocabant Polytheismum.

(1) *Nazianz. ibidem.*

(2) *Repete dicta cap. 2. de Arianis meris ac de Aetio.*

mum. Hæc omnia traduntur a Nazianzeno; ſed quinam fuiſſent, nimium illi orthodoxi, tertiæ hujus hæreſis authores, nec ipſe ſatis docet; neque ſatis explicant illius expoſitores, nec ego adhuc conjecturâ ſum aſſecutus. Ejuſmodi verò eſſe videbantur per illa tempora in Oriente, ſacrarum ſtudia litterarum, quibus Religio noſtra explicari ſolebat, probari, atque defendi: quibuſve projnde ſtudiis continebantur partes illæ omnes Theologiæ, quæ nuncmoralis, ſcholaſtica, & polemica, ſive dogmatica dici ſolent: Si quis verò ejus temporis Theologiæ partem illam velit adjicere, quę myſtica vel aſcetica dicitur, non repugno: ea enim maximè tunc florebat inter Monachos præſertim orientales, qui ob ejus Theologiæ ſtudium, Eccleſiaſtici Philoſophi vocabantur, de quibus, capite octavo locuti ſumus.

De Scriptoribus ejus temporis orientalibus.

351. NEc otii, nec inſtituti noſtri eſſe reor, de Scriptoribus ejus temporis orientalibus fuſiùs ſubtiliùſque differere: inquirendo nimirum,

rum, quæ, quando, quo loco, quave occasione ductus sua quisque opera scripserit; aut de ipsorum scriptis, quænam germana, quæ dubia, quæve supposita sint differere; quæ melior editio, quæ versio fidelior. Plurimi sunt, hac præsertim ætate nostra, qui de his rebus summâ diligentiâ, industriâque scripserunt: hos consulat, qui eo eruditionis genere delectatur: nos tantùm Scriptorum nomina (quod ad promissum Specimen satis esse arbitramur) huc ex Divo Hieronymo transcribemus: sunt verò illa ejusmodi. S. Antonius Magnus Monachorum antesignanus, Magnus Athanasius, Sanctus Eustathius Episcopus Antiochenus, Theodorus Heracleæ Thraciarum, Eusebius Emessenus, Triphyllius Cypri Ledrensis Episcopus, Serapion Θμυέιος Episcopus in Ægypto, cognomento Scholasticus, Didymus cæcus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus, Epiphanius Palæstinus, Episcopus Salaminæ in Cypro, Gregorius Nazianzenus Theologus, Magnus Basilius Episcopus Cæsareæ, Ephræm Syrus Edessenæ Eccle-

clesiæ Diaconus, Diodorus Tarsensis Episcopus, Evagrius, Maximus Philosophus Alexandrinus, Gregorius Nyssenus Basilii Magni frater, Joannes Hierosolymitanus, Theophilus Alexandrinus, Philo Carpathius, ordinatus Episcopus ab Epiphanio, Gelasius Cæsareæ Palęstinæ, Amphilochius Episcopus Iconiensis: ex quibus plurimi sunt, quorum vitam brevibus comprehensam, sexto hujus libri capite scripsimus: his accedunt Eusebius Pamphili Episcopus Cæsareæ in Palæstina, & Marcellus Ancyranus, qui hæresis suspicione haud mediocriter laborabant.

352. Ex hæreticis quoque illius temporis orientalibus scripserunt plures. Asterius Sophista, Acacius μονόφθαλμος Episcopus Cesareæ in Palæstina, Basilius Ancyranus Semiarianorum ductor, & eruditionis famâ celebratus, Apollinaris Laodicenus, Euzojus Casareæ Palæstinæ Episcopus, Eunomius Episcopus Cyzicenus, Lucius Arianus: Quorum etiam longiusculam fecimus mentionem partim in secundo capite, partim in

pri-

primo. Alii quoque orientales ea tempestate scripsisse feruntur, quos tamen cùm Hieronymus pretermiserit, nos quoque, qui breviores esse contendimus, censemus prætereundos: addimus solùm SS. Monachos Isaiam, Serapionem, tres Macharios, Paphnutium, Pachomium cum Orsiesio, ac Theodoro, qui omnes præclaras monasticæ vitæ regulas ediderunt: de quibus regulis, octavo hujus libri capite, fecimus mentionem.

De Schola Cæsariensi in Palæstina.

353. CÆsarea urbs fuit Palæstinæ clarissima, ad mare posita, eodemque loco sita, ubi olim erat Turris Stratonis. Eam urbem Herodes Ascalonita ædificavit, ornavitque superbis molibus & ædificiis, portu etiam extructo, immenso sumptu atque labore; eamdemque Augusto Cæsari dedicavit, atque ab hujus nomine, pro Stratonis Turri, Cæsaream dici jussit. Postquam Titus evertit Hierosolymam, Palæstinæ Primatus Ecclesiasticus cum Metropolis dignitate pedem magis in hac maritima Cæsarea fixit; ex quo etiam tempore

pore, studiorum litterarumque famâ; eadem Civitas cæpit magis clarescere. Itaque omnium disciplinarum Scholæ, atq; ludi erant Cæsareæ; primaque scientiarum palestra ea urbs habebatur, ubi primò studiis formaretur juventus orientalis.

354. Qui primus ex Christianis sacrarum litterarum Scholam Cæsareæ aperiret, Origenes fuisse proditur: de quo ejusmodi scribit(1) Eusebius: *Cum non satis tutò se in Ægypto commorari posse putaret, iter capit in Palæstinam, & Cæsareæ ludum aperit: ubi licet non dùm Presbyteri gradu potitus, ab Episcopis, qui ibi erant, non ad disputandum solùm, sed ad Scripturas etiam, aperiendas, magnopere in communi Ecclesiæ consessu rogatus est.*

(1) *Euseb. Hist. lib. 6. cap. 13.*

355. In eam primò urbem, Gregorius (2) Thaumaturgus, cum esset admodum adolescens, & vocaretur tunc Theodorus, studiorum causâ se contulit, cum fratre Athenodoro. Ibi etiam primam Rhetoricæ navavit operam Gregorius Nazianzenus, qui de se (3) scripsit ejusmodi: *Ego artis oratoriæ amore inflammatus, in Palæstinę Aca-*

(2) *Hieronym de Script. in Theodoro.*

(3) *Nazian. orat. in laud. Cæsar.*

Academiis (ideſt Cæſareæ) *tùm florentibus pedem fixi*. Idemque (1) fertur, cum Euzojo tunc temporis adoleſcente, Theſpeſium egregium Rhetorem Cæſareę audiviſſe: Baſilius quoq, Magnus, primos diſciplinarum hauſtus è Cæſareæ fontibus bibit; cujus rei Nazianzenum habemus teſtem, qui hæc ſcribit (2) de Baſilio: *Cæſaream ut ejus urbis Scholarum particeps eſſet, celeriter contendit; hanc inquam eximiam Civitatem, & noſtram (nam meorum quoque ſtudiorum dux extitit & Magiſtra) non minùs litterarum atque doctrinæ, quàm Urbium quibus præeſt ac dominatur Metropolim: quam ſi quis doctrinæ palmâ ſpoliaverit, rem omnium pulcherrimam, ipſiq; maximè propriam eripuerit.*

(1) *Hieronym de Scripto. in Euzojo.*

(2) *Nazian. in laud. Baſil.*

356. Extabat adhuc Hieronymi tempore, percelebris Cæſareæ Bibliotheca, quæ dicebatur Origenis; quamque mirum in modum amplificaverat clariſſimâ famâ vir, atque Martyr Pamphylus, de quo hæc (3) Hieronymus ſcripta reliquit: *Tanto Bibliothecæ divinæ amore flagravit, ut maximam partem Origenis voluminum, ſua manu*

(3) *Hieron. de Script. in Pamphil.*

 de-

*deſcripſerit ; quæ uſque hodie in Cæſa-
rienſi Bibliotheca habentur : ſed in duo-
decim Prophetas vigintiquinque ἐξηγή-
σεων Origenis volumina, manu ejus exa-
rata reperi ; quæ tanto complector &
ſervo gaudio, ut Creſi opes habere me
credam*. Ejus Bibliothecæ fuit poſteà
hæres Euſebius Epiſcopus Cæſareæ,
qui ob arctiſſimam neceſſitudinem, quę
ipſi cum Pamphilo intercedebat, Eu-
ſebius Pamphili vocari voluit. Defun-
cto Euſebio, Euzoïus, qui adoleſcens
uti ſuperiùs diximus, Cæſareæ fuerat
cum Gregorio Nazianzeno eruditus,
cùm ejus poſtea urbis obtinuiſſet Epi-
ſcopatum, corruptam Pamphili Bi-
bliothecam, in membranis, labore
ſummo (1) inſtauravit. Alia quoque
per illud tempus extabat in Æliæ urbe
ſive Hieroſolymis Bibliotheca, olim
ab Alexandro, ejus urbis Epiſcopo (a
quo fuit Origenes presbyter ordina-
tus) collecta : undè multa deprompſit
Euſebius, contulitque (quod (2) idem
ipſe teſtatur) in ſuam conſcribendam
hiſtoriam.

(1) *Hieron. de Script. in Euzo jo.*

(2) *Euſeb. hiſt. lib. 6. c. 2*

De

De Schola Alexandrina.

357. Alexandria urbs in Ægypto, ab Alexandro Magno nuncupata, tanta nominis celebritate valuit, ut Civitatum (1) vertex, terrarumq; Orbis Theatrum in historia identidem nominaretur. Disciplinarum quoque studia, ante Christi Domini adventum, ea in urbe florebant; Cœlorum præsertim, Astrorumque scientia, quæ (uti fert hominum opinio) in Ægypto sedem habuit, ac veluti domicilium. Verùm longè majorem in litteris famam gloriamque obtinuit Alexandria, ex quo illi Evangelicæ veritatis illuxit dies: tunc enim divinarum humanarum que disciplinarum emporium veluti celeberrimum evasit: indeque per totum ferè terrarum Orbem celebrari cæperunt Alexandrinæ Scholæ, utrâque litteraturâ, cùm divina, tùm humanâ prænobiles.

(1) *Ammian. l.* 22. *Herodot. lib.* 7.

358. Divus Marcus Evangelista, qui Petri jussu Alexandrinam fundavit Ecclesiam, Scholam ibi Ecclesiasticam primus (2) instituit, Magistrosque dedit

(2) *Hieron. de Scrip. in Pantæno*

dit atque Doctores, qui divinas litteras publicè profiterentur Alexandriæ. Hæc deinde Alexandriæ Schola Ecclesiastica doctorum nobilitate, auditorumque frequentiâ, adeò clara pollensque fuit, ut nec in Oriente, nec in Occidente ulla magis celebraretur. Inter nobiliores ejusdem Ecclesiasticæ Scholæ Magistros Pantænus Philosophus memoratur imprimis, de quo ita scribit (1) Eusebius: *Eodem * tempore Pantænus, vir omni humaniori litteratura præstantissimus, institutioni Christianorum illic præficitur: quo quidem loco (scilicèt Alexandriæ) consuetudine ab antiquis temporibus ducta, sacrarum litterarum Schola habebatur; quæ est ad nostram usque ætatem continuata: quam sanè ab hominibus, cum politiore doctrina, & eloquentia mirè instructis, tùm sacrarum litterarum studio probè exercitatis frequentatam accepimus.* Hieronymus (2) paritèr de Pantæno, deq; Alexandrina Schola scribit ejusmodi: *Pantænus stoicæ sectæ Philosophus, juxta quandam veterem in Alexandria consuetudinem, ubi à Marco Evangelista semper Ecclesiastici fuere Docto-*

(1) *Euseb. hist. lib. 5. cap. 10.*
* *circa ann. 184. Eleut. P. Cõmod. Imp. Alexandrinã Ecclesiam administrante Episcopo Iuliano.*

(2) *Hieron. de Script. in Pantæno.*

Doctores, tantæ prudentiæ, & eruditionis, tàm in scripturis divinis, quàm in sæculari litteraturâ fuit, ut in Indiam quoque, rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ Episcopo mitteretur. Exindè (1) Clemens Alexandrinus Pantæni auditor, post hujus mortem Ecclesiasticam Alexandriæ Scholam tenuit, & κατηχήσεως Magister fuit. Hunc audivit Origenes admodum adolescens, excepitque posta in munere κατηχήσεως Alexandrinæ cùm nondùm (2) octavum supra decimū excederet ætatis annum: in quo munere diù est Origenes versatus; auditoresque habuit famâ clarissimos, inter quos (3) Heraclam, & Dionysium summos certè viros: quos etiam in eo Magisterio successores habuit, deindè verò Episcopos; primò quidem Heraclam, postea Dionysium: eâque ratione Alexandriæ Schola Ecclesiastica, ad ea ipsa tempora, quæ hoc libello tractamus, deducta est; perpetua doctorum successione, auditorumque celebritate.

(1) *Hieron. de Script. in Clemente Alexandrino.*

(2) *Euseb. l. 6. c. 12.*

(3) *Euseb. ib.*

359. Sed humanarum quoque disciplinarum altrix erat & nutrix Ale-

xandrina civitas. Nam Astrorum imprimis scientia, ut regnare in Ægypto, ita per illud tempus Alexandriæ, regiam veluti habere videbatur: quamobrem Nicæni Patres, Alexandrinis Episcopis negotium dederunt, ut celebrandi Paschatis diem, qui totus ab astrorum pendet scientia, quotannis indicarent Ecclesiis. Tùm Eloquentiæ, Medicinæ, (1) præsertim verò Philosophiæ studia, in Alexandrinis Scholis, atque gymnasiis fervebant maximè, sub Christianis præsertim præceptoribus; inter quos celebratur Ammonius, qui Platonis Philosophiam Alexandriæ publicè (2) professus est, è cujus Schola prodiit, Platonicorum facilè princeps Plotinus. Item de Sancto Anatolio Philosopho christiano (3) accepimus Aristotelicam ibidem docuisse Philosophiam: Pierius quoque presbyter, vir clarissimus, Alexandriæ, Hieronymo (4) teste, docuit: alii denique doctrina memorabiles præceptores, ad summam celebritatem evexere Scholas Alexandrinas. In qua etiam studiorum celebritate perstabat Alexandria, post Concilii Nicæni tempora; exploratum

(1) *Gregor. Nyssen. in vita Gregor. Thaumat.*

(2) *Porphyr in Vita Plotini. Hieron. de Script. in Ammonio.*

(3) *Euseb. hist. l. 7. c. ultimo.*

(4) *Hieron. de script. in Pierio.*

ratum siquidem est, (1) Gregorium, Nazianzenum, post prima Cæsareæ studia, Scholis Alexandrinis secundam dedisse operam: Cæsarium (2) quoque Nazianzeni fratrem, Didymum cęcum quidem, sed clarissimum ac memorabilem virum, Petrum, Timotheum, Maximum Philosophum, aliosque plurimos doctrinâ clarissimos viros; Item hęreticos Arium, & Aëtium, Alexandriæ fuisse per illud tempus eruditos.

(1) *Nazian. carm. de rebus suis.*

(2) *Idem in laud. Cæsar.*

360. Bibliothecæ quoque minimè obscuræ per eadem tempora servabantur Alexandriæ. Georgius κατάσκοπος Arianus, qui pulso Athanasio, Episcopatum Alexandrinum invaserat, quamvis illitteratus, copiosam tamen Alexandriæ Bibliothecam, summo studio collegerat, quam post Georgii cędem, Julianus Apostata habere voluit; datis ea de re litteris ad Porphyrium (3) *Catholicum*: quarum litterarum hoc est exemplum.

Georgii (4) magna sanè, & copiosa Bibliotheca fuit, & Philosophorum & Historicorum omni genere referta: sed de Galilæorum maximè do-

(3) *Nomen muneris.*

(4) *Iulian. epist. 36. quæ extat etiam apud Suid. 4 & Baron. t. 4. annal. ad ann. 362.*

doctrina permulti & varii commentarii extabant. Quare totam eam Bibliothecam perquire & Antiochiam mitte. Scito autem, te quoque gravissimas pœnas esse daturum, nisi omnem diligentiam in inquirendo adhibueris: & quos suspicio erit, quacumque ratione libros aliquos intervertisse, tùm argumentis omnibus, tùm jurejurando multiplici, tùm multò magis servorum quæstione, nisi queas convincere, saltem vi cogas eos in medium proferre.

Atque hæc satis de Scholis & statu litterario urbis Alexandriæ.

De Schola Constantinopolitana.

361. BIzanzium Thracię olim oppidum, ante Nicęni Concilii tempora, non ita litterarum famâ valebat: verùm ex quo Magnus Constantinus, Nova Roma ædificata, eò transtulit Imperii Sedem, ut cæteris rebus omnibus, ità studiis litterisque, clara pollensq; cæpit esse. Namque idem Impe-

Imperator,(1) qui ſtudium omne ſuum, regiumque verè animum, in ſuam illam urbem amplificandam, ornandamque converterat, omnium diſciplinarum Scholas Conſtantinopoli erexit, vocatis undique viris doctrinæ famâ valentibus, qui Præceptorum munere ibidem fungerentur: quos privilegiis honoribuſq; omnibus ornatos eſſe voluit. Itaque per illud tempus ſummis Oratoribus (2) atque Philoſophis nova Roma florebat; ob eamque rem eò, ſtudiorū causâ ſeſe conferre conſueverant Orientales adoleſcentes, poſtquam ſatis litterarii pulveris collegiſſent, vel in arena Cæſarienſi, vel in ſtadiis Alexandrinis: ita Cæſarius Nazianzeni frater ab Alexandrinis Scholis, Baſilius à Cæſarienſibus Conſtantinopolim contenderunt: de quo Baſilio (2) Nazianzenus ſcribit ejuſmodi: *Hinc* (Cæſareâ ſcilicet Palæſtinæ) *Bizanzium urbem totius Orientis principatum tenentem (excellentiſſimis enim Oratoribus Philoſophiſque florebat, quorum brevi optima quæque, ingenii celeritate ac magnitudine collegit) Atque inde Athenas . . . a Deo, atque doctri-*

(1) *Conſule Baron. t. 3. Annal. ad an. 330.*

(2) *Nazian. orat. 20. de laud. Baſilii.*

(3) *Idem ibidem.*

doctrina permulti & varii commentarii extabant. Quare totam eam Bibliothecam perquire & Antiochiam mitte. Scito autem, te quoque gravissimas pœnas esse daturum, nisi omnem diligentiam in inquirendo adhibueris: & quos suspicio erit, quacumque ratione libros aliquos intervertisse, tùm argumentis omnibus, tùm jurejurando multiplici, tùm multò magis servorum quæstione, nisi queas convincere, saltem vi cogas eos in medium proferre.

Atque hæc satis de Scholis & statu litterario urbis Alexandriæ.

De Schola Constantinopolitana.

361. BIzanzium Thracię olim oppidum, ante Nicęni Concilii tempora, non ita litterarum famâ valebat: verùm ex quo Magnus Constantinus, Nova Roma ædificata, eò transtulit Imperii Sedem, ut cæteris rebus omnibus, ità studiis litterisque, clara pollensq; cæpit esse. Namque idem Impe-

Imperator,(1) qui studium omne suum, regiumque verè animum, in suam illam urbem amplificandam, ornandamque converterat, omnium disciplinarum Scholas Constantinopoli erexit, vocatis undique viris doctrinæ famâ valentibus, qui Præceptorum munere ibidem fungerentur: quos privilegiis honoribusq; omnibus ornatos esse voluit. Itaque per illud tempus summis Oratoribus (2) atque Philosophis nova Roma florebat; ob eamque rem eò, studiorũ causâ sese conferre consueverant Orientales adolescentes, postquam satis litterarii pulveris collegissent, vel in arena Cæsariensi, vel in stadiis Alexandrinis: ita Cæsarius Nazianzeni frater ab Alexandrinis Scholis, Basilius à Cæsariensibus Constantinopolim contenderunt: de quo Basilio (2) Nazianzenus scribit ejusmodi: *Hinc* (Cæsareâ scilicet Palæstinæ) *Bizanzium urbem totiusOrientis principatum tenentem (excellentissimis enim Oratoribus Philosophisque florebat, quorum brevi optima quæque, ingenii celeritate ac magnitudine collegit) Atque inde Athenas . . . a Deo, atque doctri-*

(1) *Consule Baron. t. 3. Annal. ad an. 330.*

(2) *Nazian. orat. 20. de laud. Basilii,*

(3) *Idem ibidem.*

næ cupiditate mittitur: & quidem amplissima erant ea gymnasia, quæ Constantinus Magnus erexit Constantinopoli; eademque stetisse, (1) ferunt usque ad Leonem, impium illum Imperatorem, cognomento Isauricum; qui demùm ea præclarissima monumenta dirui abolerique jussit.

(1) *Paulus Diacon. in Miscel l. 21. de Leone Isaur.*

362. Bibliotheca item Constantinopolis celeberrima, quæ, uti memorant, centum ac viginti librorum millibus (2) continebatur, & quam postea per tempora Basilisci Imperatoris, dirùm illud absumpsit incendium, à Constantino primùm fundata, ab aliis deinde amplificata fuisse creditur. Præterea Zosimus (3) memoriæ tradit, Bibliothecam aliam fuisse in regia Constantinopolis porticu, à Juliano Apostata erecta: atque hic erat per illud tempus Constantinopoli Scholarum litterarumque status.

(2) *Zonar. 3 part. Annal. in Basilisco.*

(3) *Zosim. lib. 3.*

De Schola Atheniensium.

363. DE Athenis, deque veteri ejus verbis in rebus omnibus gloria, nihil hic attinet dicere: omnia

omnia vetera monumenta, tùm latina, tùm græca, ejusdem urbis laudibus referta sunt. sanè Tullius, qui Athenis fuerat adolescens eruditus, suæque flumina eloquentiæ ex Atticis hauserat fontibus, cùm de Atheniensibus verba faceret, *unde*, inquit, *humanitas*, *doctrina*, *Religio*, *fruges*, *jura*, *leges ortæ*, *atque in omnes terras distributæ putantur*: atque alibi etiam laudans Athenienses, *de quorum urbis*, inquit, *possessione*, *propter pulchritudinem*, *etiam inter Deos certamen proditum est*. Sed in studiis præsertim, doctrinisque omnibus, primam, præcipuamque gloriam tulerunt Athenæ, ut non reliqua solùm Græcia, sed omnes ferè Mundi nationes, Atheniensibus, in eo laudis genere, facilè concesserint; & urbem illam, præcipuo quodam jure, *doctam* omniumque disciplinarum inventricem vocaverit omnis antiquitas. Quam ego Athenarum in litteris excellentiam, non ad vetustissimam solùm ejus urbis institutionem; sed ad loci quoque naturam, atque ad gentis indolem, censeo referendam: namque

(1) *Cicero pro Flacco.*

que regio ingeniorum est fertilissima; & quos illa fert incolæ, præter cæteros homines, sciendi sunt cupidissimi: ut quamvis nunc Athenarum, præter cadaver, & rudera, & vacuum nomen, supersit nihil; ex ipsis tamen celeberrimæ urbis cineribus, scintillæ quædam ignis attici subindè videntur erumpere: quique eo, ubi Athenæ fuerunt, nascuntur loco, (quod comperi experientia) ad studia nati esse, ac veluti naturâ facti videntur.

364. Verùm iis prætermissis, quæ non ita pertinent ad præsentem scopum; quarto etiam Christi sæculo, Athenarum Schola reliquis omnibus orientalibus longè præibat; ac veluti discendi gradus erat omnium supremus, quo ultima studiis imponebatur manus. Studiosorum, qui Athenas tempestate illa confluerent, tanta erat vis & multitudo, ut Nazianzenus affirmet, eorum impetum talem fuisse, ut nulla posset ratione comprimi, aut retineri. In factiones plurimas divisi erant scolastici Athenienses; quarum quælibet suum Præceptorem haberet; eaq;presertim inter illas ardebat æmulatio

(1) *Or. fun. de laud Bas.*

látio, quænam valentior numero foret: earum proinde quælibet, id potissimùm satagebat, ut studiosos, Athenas primo adventantes, occuparet atque præriperet; eoque in negotio maximè intenta erat; ob eamque rem (quod (1) Nazianzenus ipse testatur) *præoccupabantur urbes, viæ, portùs, montium cacumina, campi, solitudines, omnesque denique Atticæ, ac reliquæ Græciæ partes.*

(1) *Nazian. ibidem.*

365. Qui Athenas causa discendi accederet, non antea in scolastichorum numerum studiorumque societatem recipiebantur, quàm ludicro quodam ritu initiarentur, ac veluti ponerent Tirocinium; cujusmodi verò illud esse soleret, ipsiusmet Nazianzeni verbis exponam: [Cùm autem Juvenis quispiam accesserit, atque in eorum, a quibus captus est potestatem venerit (venit autem vel sponte, vel coactus) tùm verò attica hæc illis consuetudo est, ludusque rei seriæ admistus. Primùm apud eorum aliquem, qui priores ipsum arripuerint, hospitio excipitur, vel amicorum, vel propinquorum, vel qui ejusdem sunt Patriæ,

ibidem

vel

vel qui Sophiſtices artem apprimè callent, ac lucra Magiſtris conciliant. . . . Deinde à quolibet cavillis laceſſitur, quod faciunt, ut Novitiorum animos contrahant, ac velut in poteſtatem redigant: laceſsitur autem ab aliis audaciùs, ab aliis eruditiùs, prout ille vel ruſticis & ineptis eſt moribus, vel urbanitate præditus. Atque id ignaris quidem horrendum valdè & inhumanum videtur; iis autem perquam jucundum & ſuave qui hoc priùs norunt: amplior enim eſt hæc minarum oſtentatio, quàm res ipſa. Tùm per forum ad balneum cum pompa deducitur: pompa verò hoc modo ſe habet. Qui deducendi juvenis munere funguntur, ordine collocati, atque æquis ſpatiis diſtincti, bini eum ad balneum antecedunt; cùmque autem propiùs acceſſerint, quaſi fanatico furore correpti, clamorem ingentem, cum ſaltitatione tollentes (hic autem clamor, nè ulteriùs progrediatur, vetat, ſed ut inſiſtant, tamquam eos balneum minimè admittat) ſimulque pulſatis januis, cùm per ſtrepitum juveni metum incuſſerint, poſteà conceſſo ingreſſu, ita

demùm

demum eum in libertatem asserunt, atque à balneo redeuntem deinceps ut æqualem ac sodalem recipiunt.] Hactenus Nazianzenus, cujus operâ, Basilius cùm primùm venisset Athenas, ea lege fuit exemptus. Inter celebratissimos ejus temporis viros, qui Athenis fuerant in litteris eruditi, memorantur præsertim Nazianzenus Theologus, & Magnus Basilius: qui simul, eâdemque domo ibidem versati sunt. Sed Nazianzenus prior venit Athenas profectus Alexandriâ; qua in navigatione, aliena usus tempestate, naufragium penè subiit; eo tamen ereptus precibus Matris Nonnæ. Etenim Gregorius, post primos Cæsareæ fontes, & rivos Alexandriæ, tanto sitis ardore Athenarum flumina sitiebat, ut nulla ratione Alexandriæ ultra retineri potuerit: & ipse quidem de se scribit ejusmodi:

Sola meum, ardenti pectus stimulavit amore
Doctrina Argolica, quam gloria gentis Athenę,
Quęsivere mihi, Solisque occasus, & ortus.

In

In qua multum operę posui, multumque laboris
Permultis annis subii sed & hanc quoque Christi
Ante pedes humilem, pornamque jacere coegi.

Deinde Basilius Constantinopoli se Athenas contulit, ubi Nazienzeni operâ, communem illam (quod nuper dixi) Tironum legem declinavit, indeque præludium extitit ejus amicitiæ beatæque necessitudinis, quæ postea inter Nazianzenum & Basilium arctissima intercessit ac sempiterna. Præterea Julianus Apostata, Athenis Studiorum causâ versatus est adolescens; ubi eum novit Theologus Nazianzenus; & qualis esset futurus, ex incredibili mentis mobilitate, perversâq; animi indole, atque ex corporis etiam habitu, peracutè conjecit.

366. Docuere per illud tempus Athenis, Anatholius Orator clarissimus & Constantio Imperatori percarus: tum etiam Proæresius; cui deinde, Constantii jussu Romam vocato, statua fuit, ex S. C. ob insignem eloquentiam erecta, cum inscriptione hujusce-

hujuscemodi : REGINA RERUM ROMA, REGI ELOQUENTIAE. Item Musonius, Hemerius quoque atque Libanius, quibus postremis duobus (ut auctor est Sozomenus,) (1) Nazianzenus, & Basilius usi sunt præceptoribus. Ipse quoque Nazianzenus Rethoricam artem Athenis professus est.

(1) Sozomen. lib. 6. cap. 17.


367. Præter has orientis Solis celebratissimas Scholas, quarum singularem fecimus mentionem; alia quoque in his urbibus orientalibus, litterarum gymnasia patebant; verum obscura ea erant, & famâ minime celebrata. Antiochiæ, novimus, oratoriam artem docuisse Malchionem: Nicomediæ Rhetoricam pariter docuit Lactantius Firmianus, qui tamen ea urbe discessit ob penuriam discipulorum. Atque hæc demum satis de statu litterario atque Scholis orientalibus.


LAUS DEO.

Finis primæ Sectionis.

PRIMAE PARTIS HISTORICAE.

Pagina	Versus	Errata	Sic corrige.
71	1	ſcelatiſſimum	ſceleratiſſimum
71	15	Nazianzeni	Hieronymi.
107	12	petenti	petente
ibidem	28	iiſdem	Iidem
113	28	fotiſſimè	fortiſſimè
127	5	530	330
135	5	multituditis	multitudinis
155	1	probo	probro
156	22	eujuſmodi	ejuſmodi
169	21	tonverti	converti
180	25	qnaſi	quaſi
189	21	Imperatore	Imperatoribus
216	9	335	355
218	13	Chryſoſtomus	Chryſoſtomum
260	22	ſententas	ſententias
267	11	initium	initum
271	14	ufus	uſus
292	5	ſæpiùs	ſæpè
296	19	actus eſt, exilium	actus eſt in exilium
297	3	Etropio	Eutropio
299	19	tota vertendis	tot avertendis
396	13	divinum	divino
400	20	iu	in
410	23	Antioncheni	Antiocheni
412	17	deſcriberi	deſcribere
413	3	habendo	habenda





ROMÆ MDCCVI.

Typis Joannis Franciſci Chracas, propè S. Marcum in viâ Curſus.

EX AUCTORITATE SUPERIORUM.



